Ayuntamiento de Madrid

62.-F.
C. 1124.
R. 162.
Par
192

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

Refranero

Ayuntamiento de Madrid

PROVER

BIORVM SYMMICTA.

Quibus adiecta sunt Pythagoræ Symbola XVIII. Et ipsa prouerbialia, hactenus à paucis animadueersa, recèns autem ex Iāblicho Chalcidense Philosopho græco, latina facta simul & scholijs explicata.

Ioanne Alexandro Brassicano Iurecons. autore.

Item M. Grunnij Corocottæ porcelli Testamentum.

Excudebat Christianus Wechelus, sub scuto Basileensi, in uico Iacobæo. Anno M. D. XXXII.

Ayuntamiento de Madrid

IOAN. ALEXANDER BRASSI-
canus Ioan. Fabro S. D.

COmpertum habeo, Faber amiciß. quanta mihi iudiciorum alea sit experienda, postq̃ adagia nostra, sic uolente te qui mihi poßis etiam imperare, Typographis excudenda dem indaui: partim q̃ iuxta Pindarum, νεαρὰ δ' ἐξευρόντα δόμεναι βασάνῳ ἐς ἔλεγχον ἅπας ὀξὺ κινδυνεῖ: partim autem q̃ post heroës illos hoc cõmentandi genere parum defunctus esse uidear. Vtcunq; uerò responderit euentus, non potui tibi non obsequi: quamobrem officij tui fuerit hanc recens apud me natam fœturam, ad optimum ac prudentiß. Principem Episcopum Tridentinum &c. quemadmodum Mercurius apud Homerum Priamũ ad Achillem, proficiscentem deducere, & me de meliore nota, meáq; studia omnia iam olim Reuerendiß. celsitudini suæ cognita, cõmendare.

Vale.

Ayuntamiento de Madrid

REVERENDISS. IN CHRISTO patri ac eidem optimo principi, domino Bernardo à Gleß, Episcopo Tridentino, Inuictiß. FERDINANDI, Pannoniæ ac Boëmiæ Regis &c. Cancellario summo, studiorũ atq; studiosorum omniũ incõparabili Patrono IO. Alexander Brassicanus.

S. D.

QVànquàm, optime Princeps, anxiè admodum metuã, futuros eße quosdam, qui meam hanc exiguam lucubrationem, ne lectam quidem prius, abiecturi simul atq; damnaturi sint, interea tamen bona spes animũ meum habet, non defuturos etiã æquioris iudicij homines, qui meum hunc honestißimum conatum sint in meliorem partem interpretaturi: quippe nec superuacaneum, nec inutilem laborem me suscepisse, dum post ERASMVM Roterodamum, principem paræmiographum, uirum mihi ac uniuersæ Germaniæ perpetuò colendũ, sed qui & ipse post alios prouerbia scripserit, hæc quæ uides Adagiorum Symmicta digeßi. Quòd si nõ uehementius ad iuuandam posteritatem inuitarent, qui ut cum Poëta dicam, Φέρτεροί ἐισι νοῆσαί τε κρῖναί τε, quàm à scribendo deterrere consueuerunt improbi & maleuoli, non

Ayuntamiento de Madrid

uideo profectò quibus modis res literaria primũ creuerit, et in posterum etiam à nobis conseruari possit, ita perpetuò cum omni scriptorum genere certasse deprehendo, & laudatos laudatores, & improbissimos quosq; obtrectatores. At deorum immortalium beneficio plus potuit Mecœnatum humanitas, quàm morbo non iudicio scripta aliena damnantium improbitas. Quãobrem optime Præsul, hæc adagiorum Miscellanea tibi dicãtur, ut per se quidem exigua tui nominis auspicio fiant ornatiora: siquidem hæc inscriptio satis superq; effecerit, si planè musteam illam fœturã inuidiæ exemerit, atq; studiosorum omnium gremio imposuerit. Quemadmodum autem Athenienses nauium proras Palladijs hoc est Mineruæ quibusdam imagunculis exornabant, itidem & ego mediocrẽ illum Lembum, in quo Adagia nostra prodire uolui, præstantissimo omnium Palladio, nimirum insigni nomine tuo præmuniui, atq; hæc omnia sic probari cupio, ut perpetuò cum Homero dicam,

Νῶῦ δ' εἴκ ὄς τῆσδε γ ἀμείνονα μῆτις ἐνίσσοι
ἢ νέος ἠὲ παλαιός, ἐμοὶ δὲ κὲν ἀσμένος εἴη

Vale feliciß. nostri seculi Episcoporum præcipuum ornamentum, & me cum studijs meis, uti cœpisti, sartum tectum habeto. Viennæ Austriæ.

Anno à nato Christo

M. D. XXIX.

Mense Martio.

Ayuntamiento de Madrid

C. Vrsini Velij Regij Historiographi, ad Iohannem Alexandrum Braßicanum suum Iureconsultum Epigramma.

Vsq; adeò docti nomen ueneraris ERASMI,
Vt studio tractes pleraque scripta pari.
Magnam Chiliades laudem meruere, minorem
Sed nec Centuriæ promeruere tuæ.
Illi de pleno licuit depromere aceruo
Plurima, tu ex paruo multa quoq; annumeras.

F. Ioan. Camertis Ord. Minor. Sacræ Theologiæ Doctoris, in Ioan. Alexandri Braßicani Adagia, Epigramma.

Palladi culta placent, paruo sint corpore quàmuis,
Præfertur fundis undique comptus ager:
Mole leo modicus Barris dominatur & Vrsis,
Imperat & Gryphis ales amica Ioui,
Vncia uel multo plumbo est preciosior auri.
Ingens Chrysippi uilis aceruus erat:
Marmoreum cumulum superat splendore Pyropus,
Medorum syluas uincit odore rosa:
Braßica parua licet, uictus præbere salubres
Creditur, hinc Latijs grata fit esca cibis.
Ne spernas igitur modicum, studiose, libellum.
Dulæ sub exiguo cortiæ nectar habet.

Ayuntamiento de Madrid

D. Ioannis Agricolæ, Philosophi ac Medici, Ingoldstadij Græcas literas docentis

Epigramma.

Commendant Medici dulcissima Cymata passim,
Brassica quæ celebri laude Catonis habet.
Dulcia Alexandri commendo ego scripta, palati
Delicias, animi uincit ubique cibus.

Ioannis Rosini.

Impiger Agrestis segetes cum condidit almas,
Quas alij carpant sæpe reliquit opes.
Quum bene maturas decerpsit uinitor uuas,
Quod legat ast reliqui ponè secutus habet.
Culta per Aonidum magnus peruasit Erasmus,
Commoda quæ licuit sumere summa tulit.
Hunc sequitur studio iuuenis commotus eodem,
Brassica cui nomen deliciosa dedit.
Aurea, quis credat? reperit miracula rerum,
Quisquis es hæc grato sume uolens animo.

Antonij Melæ Wratislauiensis
Hendecasyllabi.
Liber loquitur ad Lectorem.

Iusti forma mihi deest libelli,
Id quod candide lector ipse cernis,
Fastidire tamen caue pusillum:
Immani precio pusilla si stant
Sæpe & grandia longius relinquunt,
Formæ damna breuis tibi undequaque

Conferta

Ayuntamiento de Madrid

Conferta historia satis rependam.
Verum enim tibi uilior uidebor
Quòd non auia diligens pererrem
Musarum loca, & ante trita nulli,
Quòd non inde petam mihi coronam,
Velarint prius unde docta nulli
Castæ tempora Phocidos puellæ:
Non hoc nomine, lector, exigendus
Sim prorsus, uel ego quid attulisse
Dicar in medium eruditionis
Illam non ego gloriam prehenso,
Spes me sollicitauit illa nunquàm
Assequi senis illius uerendi
Qui nostri decus orbis est, Erasmi
Spirantem effigiem, sequi sat umbram est,

In Adagia Io. Alexandri Brassic. Iureconsulti, Fratris sui Germani, Ioannes Ludouicus Brassicanus.

Ceu grauidam bellis enauit ad Hellada Xerxes,
Instructas tot habens undiq; Chiliades.
Ceu perfodit Athon, Pontumq; Athamantidos Helles
Pertransituris aggere strauit equis.
Sic modo ueliferas aduerit in Hellada naues,
Eruit & pulchras cultus ERASMVS opes,
Omnia perscrutans loca latè, adytaq; remotes
Immisso apperuit lumine ceu Barathrum.

Ayuntamiento de Madrid

Proinde sibi hæc magnam peperit uictoria laudem,
Omnis io clara uoce triumphe canit.
Quin digitis cum uoce loquens applausit Apollo,
Pierides teneras concrepuere manus.
Ast iterum lætam gestans Centurio uitem,
Venit Erichthonias depopulatus opes.
Non albis inuectus equis, sellaq; auruli
Extructus, medium transit iter populi,
Sed parua, & plane contentus laude quieta,
Expetit in proprio plaudere posse sinu.

FINIS.

Synesius in Encomio Caluitij.

ARistoteles scribit prouerbia esse philosophiæ post multam hominũ stragẽ amissæ quasdam reliquias, quæ propter suum compendiũ & dexteritatem conseruatæ sint. Prouerbium autem est sermo dignitatem habens, & tanquàm è sacrario philosophiæ depromptum, eius aneiquitatem referens.

Homerus,

ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι
ὅς κ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ

Ayuntamiento de Madrid

IOANNIS

ALEXANDRI BRASSI-

cani Iureconsulti Prouerbiorum

Symmicta.

Agrostis in nido Corydi. I.

N κορύδου κοίτῃ σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις, *id est, In Corydi nido intorta occultatur agrostis. Adagium extat apud innominatũ græcũ scriptorẽ, qui rem rusticã uigintí luculentissimis libris absoluit, libro* ιε. τῶν περὶ γεωργίας ἑκλογῶν, *ut ipse inscripsit, quo loco ex Nestoris panacea tractat admirabilẽ quarũdã rerũ sympatheiã & antipatheiam,*

καρκῖνος προσενεχθείσης αὐτῷ πρὸς βοτάνης ἀπεβάλλετο τὰς χηλάς, νυκτερίδες κατὰ θυμίωμα θνήσκουσι, γύπες ἀπόλλωνος μύρον ὀσμῇ, ὄφις θνήσκει σφρυος φύλλῳ ἐπιβληθέντος αὐτῷ, οὐ κινηθήσεται ὄφις περὶ ἴβεος αὐτῷ ἐπιῤῥιφέντος, ἔχις πλησίον ἅπαξ καλάμου, ναρκᾶ· πολεονάκις ὑς, ῥώννυται, τῇ ἐχίδνῃ φυτὸν κλωνίον ἐὰν προσαράσῃς πήσει, χελώνη ὄφεα φαγοῦσα νοσεῖ, ἐπιφαγοῦσα ὀρίγανον ὑγιάζει, πολαγοὶ πλατάνου φύλλα τοῖς νεοσσοῖς ἐντιθέασι διὰ τὰς νυκτερίδας, χελιδόνες διὰ τὰς σίλφας σέλινον ἐντιθέασι, φάτταν δ' ἄφυκτον, κιρκοὶ ἀγρίαν θηρίδα

Ayuntamiento de Madrid

θρίδ ακίνην, ἄρτοι κισσόν, κόρακες ἄγνον, ἔποπες ἀμίαντον, κορώναι τριρίζειρεῶτα τὸν ὕπνιον, κίγχλα μύρσίνην, πέρδιξ καλάμου φορβήν, ἐρωδιὸς καρκίνῳ, ἀετὸς καλλίξιχον, κόρυδοι ἄγρωστιν, ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, ὦ κορύδου κοίτη σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις. Hoc est, ut quàm simplicissimè latinè dici potest, Cancrum herba polypodio si quis contigerit chelas abijcit, Vespertiliones ex incensæ hederæ suffumigatione moriuntur, Vultures intereunt ex odore unguentorũ, Serpens coniectis in eum quernis folijs emoritur, Serpens ne commoueri quidem poterit si Ibis auis ala tactus sit, Vipera semel percussa calamo, obtorpescit: sæpius autem, ad sese ipsam redit et conualescit, Viperæ si ramum ex fago arbore adhibeas, metu exanimatur, Testudo si serpentem ederit ægrotat: Rursus si Origanum ederit, conualescit, Ciconiæ platani folijs pullos præmuniunt aduersus uespertiliones, Hirundines aduersus Silphas ex Cantharidum genere apio utuntur, Palumbes lauro, Accipitres syluestri lactuca, Harpæ aues hedera, Corui agno siue amerina, Vpupæ amianto, Cornices peristereone quem rectum uocant. Cinclla auis quam motacillam dicunt Myrto, Perdix calami pabulo, Herodius siue ardea cancro, Aquila Callitricho, Corydi Agrωsti. Vnde etiam Prouerbium desumptum est,

In Corydi nido intorta occultatur Agrωstis.

Eiusmodi peculiaria animãtium remedia cõmemorant & Plutarchus in cõmentario, utrum prudentiora sint

marina

Ayuntamiento de Madrid

marina an terrestria, & Aristotel. de historia animal. libro 9. cap. 6. Plinius itē libro 8. cap. 27. Adagij usus est, si quando significamus nobis non deesse tacita quædam & paucis cognita præsidia, quemadmodum Corydus auicula Agrωsti, quam Theodorus & Hermolaus gramen uertunt, occulto quodam aduersus ea quæ nocere poßint amuleto utitur. Quòd si quis dixerit nos plane actum agere, qui post alios Adagia scribamus, is interea non obliuiscatur, & in Corydi nido agrωstin esse reconditam, hoc est, neque nobis ex bonorum autorum penu deesse iustum spicilegium, ex quo non aspernandam prouerbiorum messem concinnare poßimus.

Iupiter plue mel. II.

GAlenus medicus libro tertio περὶ τροφῶν δωάμεως, id est, de potestate nutrimentorum, scribit æstatis tempore, si quando insignis copia mellis paßim in uirgultis ac arborũ folijs inuentretur, Rusticos exclamare consueuisse, ὦ ζεὺς βρέχε μέλι, O Iupiter plue mel, quo uerbo commode uti conueniet, quando omnia fausta & felicia precamur. Angelus Politianus libro I. epistolarum ad Picum, diuersum citat ex Tragœdia quapiam, ὦ ζεὺς βρέχον τὰς περισάσεις, O Iupiter plue calamitates. Sic exclamamus dum ob rei indignitatem, etiam perniciosis uotis utimur, ita quòd Plato in dialogo, qui inscribitur Alcibiades secũdus, putat esse pbi Poëtæ uersiculos illos,

ξεν

ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις (κοις.
δόμμι δ' ἐσθλὰ τὰ λυγρὰ καὶ εὐχομένων ἀπερύ=

Hoc est, Rex Iupiter, optima quidem nobis & uouentibus & non uouentibus tribue:

Cæterum perniciosa petentibus etiam quàm longissime iubeas abesse.

Candidatus Cæsaris III.

CAndidati Cæsaris elegãti prouerbio dicuntur qui negligentius aliquid petunt, tãquàm minime ambiẽtes, quod principum explorata benignitate, certo sciunt ipsis obuenturum esse. Quintil. in 6. Iungitur inquit amphiboliæ similitudo, ut A. Galba qui pilam negligenter petenti. sic, inquit, petis tanq̃ Cæsaris cãdidatus. Nã illud petis ambiguum est, Securitas similis. Cæsaris autẽ candidati ut Sueto. etiam in Augusto meminit, propterea negligentius petebant, q̃ sciebant principum commendationem non frustra futuram: hoc Adagium ingenuè fateor me decerpsisse ex Annotationibus priorib. in Pandectas doctissimi & nunq̃ satis laudati uiri Guilielmi Budæi. Eiusmodi candidatorum plena nunc est aula, qui tum maxime munus aliquod ambiunt, quando negligentius hoc animaduertere putantur, quemadmodum et Cicero apud Gellium libro 12. cap. 12. putabat esse prudentis & cauti patrisfamilias, quod emere uellet, empturum sese negare propter competitores emptionis.

Arëopa

Ayuntamiento de Madrid

Arëopagita subticentior. IIII.

ET hoc ex Alciphronis epistolis Budæus animaduertit ἀρεοπαγίτου σιγανώτερον, id est, Areopagita taciturnior, de homine dictum qui arcanũ optime nouit continere et linguæ suæ imperitare, cui contrarium est hoc hominum genus quod apud Comicos rimarum plenum est, & crebrius perlucet q̃ cribrum. De Areopagitarum integritate simul ac auctoritate, multa scribit Isocrates in Areopagitico & Lucianus in Anacharside.

Manus in Aetolis, mens autem in Clopidis. V.

ARistophanes in Comœdia cui titul. ἱππῆς, τὸ χεῖρ ἐν αἰτωλοῖς ὁ νοῦς δ' ἐν κλωπιδῶν, quod de Cleone dicitur, in omnes illos torqueri potest, qui nunq̃ cessant uel à petendo, uel si hoc parum successerit ab alienis rebus sublegendis. Poëta germana sua festiuitate Aetolos ab αἰτῆν, id est, ab assidue & importune petendo deriuauit, quanq̃ etiam Athenæus τὸ κλωπῶδες καὶ ἁρπάσσα libro 6. Dipnosoph. dicat esse Aetolicum. Cæterũ cum Cropidæ populus sit ex Leontide tribu, Poëta ualde q̃ eleganter ρ in λ commutauit, ut κλοπὴν, id est, furtum exprimeret, cuius perpetuò reum agit Cleonem; meminit adagij & Plutar. in libello de Curiositate.

Inter

Ayuntamiento de Madrid

Inter meros lepores. VI.

ARistophanes in comœdia cui titul. σφῆκες, ἐν πᾶσι λαγῴοις, id est, tantum in leporibus, Interpres exponit, & Suidas etiam cum Hesychio meminit, ἐν κρέασι λαγῷρ, ἐν ἀγαθοῖς πᾶσι, ἐν ξυφῇ, In media leporũ carne, hoc est, in uarijs cõmo ditatibus atq; delicijs. Quis enim ignorat ex Martiali poëta lib. 5. atq; Plinio lib. 28. cap. 19. leporem in cibis sumptum, gratiam corporis in septem dies cõseruare? Lampridius scribit poëtam quendam in Alexandrum Seuerum ita scripsisse,

Pulchrum q; uides esse nostrum regem
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit & lepus comesus
Ex quo continuum capit lepórem.

Glossaspides. VII.

Γλωσσάσπιδες apud Hesychium prouerbio dicũtur homines effrenis oris & qui lingua uice sauti utantur, quo nomine male audit grex mulierũ. Heraclitus in epistola ad Hermodorum scribit, Ephesios τὰ ὅπλα ἐν ταῖς γλώττῃς ἔχειν, hoc est, uniuersam armaturam suam in lingua habere. Ego certe linguam tum primũm optimam armaturam esse credidérim, quando uinculis quibusdam ex imo pectore gubernabitur, ut Gellius admonet libro I. cap. 15.

Asteropæus. VIII.

QVoniam Homerus Poëta Iliad. libro φ. Heroëm Asteropæum scribit ambidextrum fuisse, nem

se, nempe qui sinistra tam expeditè atquè dextra manu uteretur, sic dicens,

ἥρως ἀστεροπαῖος ἐπεὶ πόδας ἦεν ἄρηος

cuius rei meminit & Galenus medicus libro septimo commentariorum in Aphorismos Hippocratis, aphorisf. 43. factum est ut qui ad multas res agendas expedito & prompto ingenio essent, Asteropæi dicerentur. Athenæus libro I. deipnosophistῶν, scribit Marcũ Antoninum Imperatorem, q̃ is in utriusq; linguæ cognitione fuerit ex æquo conspiciendus, Asteropæum quẽdam dici potuisse: hoc idem Libanius Sophista Montio Consuli tribuit in exordio argumentorum in Demosthenem.

Non uerbis, at factis spectari uult Græcia. IX.

SVidas citat prouerbium aduersus insolentiores ardeliones, qui uerbis etiam cœlum territant, cæterum ubi sit ad rẽ ipsam accedendũ, imbelles & ignaui reperiuntur, οὐ λόγῳ ἀγορᾶς ἀλλὰ ἔργῳ, quanquàm Liuius Decad. 1. lib. 8. Græcos magis lingua quàm factis strenuos esse scribat.

Filius mihi sit Tritogenes non Tritogenia. X.

SVidas scribit esse prouerbiale υἱός μοι τριτογενὴς εἴη, μὴ τριτογένεια, Opto filium potius Tritogenem quàm Tritogeniam, q̃ Minerua quam uirilem existimamus, masculos pueros exhibeat, nec aliud addit. Adagij usus est, quoties rem parui impendij

præferimus

Ayuntamiento de Madrid

præferimus ijs quæ immodicis sumptibus redimenda sint. Siquidem puellæ perpetuò, ut græci uocant πολυδάπανοι sunt, hoc est, grauiore sumptu educantur, quod & Megadorus ille Plautinus enumerata omni muliebri supellectile testatur. Plautus in Epidico dicit mulieres esse totis fundis exornatas. Columella in præfation. lib. 12. grauiter damnat uestes muliebres totis censib. redemptas. Sic Ouid. in 3. de arte. Quis pudor est, census corpore ferre suos? Viri, si tamen esse uoluerint quod dicuntur, cũ immodico cultu non indigeant, mediocribus etiam impendijs educantur.

πλάωειν XI.

ARtemidorus libro Onerocriticõn. β. cap. δ. πλάωειν γὰρ τὸ ἐλέγχειν ἔλεγον οἱ παλαιοί, id est, lauare ueteres coarguere dixerunt, & ibidem eius rei testem Menandrum Comicum citat,

τὸν πατέρα καί σε, τούς τε σοὺς ἐγὼ πλαωῶ,
ἀντὶ τοῦ ἐλέγξω: meminit & Iulius Pollux lib. 7. cap. 11. τὸ λοιδορεῖν πλάωειν καὶ πλαωόν με τρίς ἡ κωμῳδία φησί. Is loquẽdi mos et hodie germanismo quodã elegatis. usurpatur. Siquidẽ lauare dicunt, dum quod in aliquo reprehendendum sit aperte commonstrant.

αὐξωνεύεδς. XII.

STephanus in dictione αὐξωνία quæ ciuitas est Magnesiæ, scribit αὐξωνεύεδς prouerbio dici,

nanos

Ayuntamiento de Madrid

uanos accusatores & sycophantas. Aexones enim ut idem inquit βλάσφημοι & συκοφάντης κωμῳδοῦνται. Harpocration in dictionario decem Oratorum, dictione αἰξωνεῖς scribit hoc adagio Menandrum & Platonem Comicos esse usos.

βεργαΐζειν. XIII.

STephanus in dictione βέργη, scribit βεργαΐζειν prouerbio dici, μηδὲν ἀληθὲς λέγειν, id est, nihil dicere quod uerum sit, adagio ab Antiphane Comico Bergæo nato, qui prorsus incredibilia & uana quædam scripserit.

Asson eas ut citius ad exitij terminos peruenias. XIIII.

VErsiculus est Homericus Iliad. lib. ξ et υ ἄσσον ἴθ' ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι, qui germana poëtæ sententia cõseruata sic redditur, Propius accede, ut celerius exitij terminos attingas. Cæterũ cum Assos, maritima Lyciæ ciuitas, in edito sita sit promõtorio, ita ut parum tutum sit accedere, Stratonicus Citharista ut Strabo lib. 13. Geograph. scribit (quãnquam hoc Nicostrato Citharœdo Stephanus tribuat) festiuiß. ioco dicebat ἄσσον ἴθ' ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι. Adagij usus erit, quoties à rebus ijs quæ non absq; periculo comparari possunt, deterremus. Quemadmodum si quis à corruptis sodalitijs, certißima adolescentum pernicie, dehortari

uellet, diceret ἄσσον ἴδ &c.

Thessalus missus. XV.

PAusanias in Græcia Attica, Thessalũ missum, egregie lautum cibũ ita dictum fuisse scribit, quod & Athenæus probat lib. Δ. Δείπνο. εὐτράπεζοι δ' εἰσὶν οὕτως οἱ θεσσαλοὶ, καθὰ Φ' ἔριφος φησὶν ἐν πελτασταῖς οὕτως, id est, In mensis instruẽdis ualde quàm operosi fuerunt Thessali, unde & Eriphus Comicus in peltaste sic inquit,

τὰ δ' οὐ κόρινθος οὔτε λαῖς ὁ σύρος
οὐδ' εὐτραπέζων θεσσαλῶν ξένων τροφαί,

Illa uerò non Corinthus, non Laïs ò Syre
Neque item lautorum Thessalorum hospitũ alimẽta.

Idem Athenæus libro ιδ'. Δειπνοσοφιστῶν, Thessalos τῶν ἑλλήνων πολυτελεστάτους uocat.

Animus apud Cauponem. XVI.

AThenæus libro 10. Δείπνοσοφ. ex Platonis Phaone citat, ἐν τῷ καπήλῳ νοῦς, Animus apud Cauponem. Non dissimili forma loquendi dixit Teren. Animus est in pannis, de potoribus qui nulli rei nati sunt, quàm uino ac frugibus perdẽdis, quos Basilius magnus in Commentariolo ad Nepotes, nihil nisi, ut ipse ait, τοὺς μαγείρους ἐπινοοῦντες, id est, Coquos mente agitantes, grauissime coarguit.

Ayuntamiento de Madrid

βιβλιοκλέπτου. XVII.

AVtor magni Etymologici scribit Andreã medicum ab Eratosthene, quòd eius libros furtim exscripserat, βιβλιοκλέπτορα fuisse dictum, allusione prouerbialis cognomenti sumpta ab Aegistho qui Clytemnestrã Agamemnonis corruperat. Hoc cognomentum illi præcipue merentur qui aliorum scripta sibi uendicant, suoq; nomine passim inuulgant. Ridiculum profectò hominum genus & ingenij planè obnoxij, quod Plinius ait: qd'mauult in furto deprehendi, quàm mutuum reddere. Demetrius Grammaticus Adramyttenus cognomento, dictus fuit Ixion, quòd Euripidis tragœdiam, quæ inscribitur Ixion clam sublegisset & sibi adscripsisset: quanquàm Lærtius, Suidas, & Athenæus, ita quoque cognominatũ fuisse scribant, q; in Alexandria Iunonis statuæ argentea quædã ornamenta detraxisset. siue q; Ixionis exẽplo parũ gratus fuerit in Aristarchũ præceptorẽ.

Turbine uersatilior. XVIII.

SVidas ex Aristophane citat, qui dixerit, βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ, ἀντὶ τοῦ εὐκίνητον, καὶ εὔστροφον εἶναι δεῖ, id est, oportet nihil à turbine siue trocho differre, pro eo quod est desultorium, agilem, & uersatilem esse oportere, βέμβιξ enim turbo dicitur tanquàm πέμπτιξ, παρὰ τὸ πέμπειν καὶ ἐλαύνειν, ut interpres Sophocis inquit. Aristophanis interpres in Vespis ita scribit, βέμβιξ γάρ

ἔστιν ὁ ξύλινος τρόμβος ἐργαλεῖον, οὗ μάστιγι τρέφουσιν οἱ παῖδες, unde etiam βεμβικιᾶν τὸ περιστρέφεσθαι. Sic in græco epigrammate Callimachi, οἱ δ' ἄρ' ὑπὸ πλεκτῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.

Plautus dixit, uersutior rota figulari. Turbinis expeditã agilitatẽ elegãtiß. describit. Ver. lib. 7 Aeneid.

Ceu quondam torto uolitans sub uerbere turbo,
Quem pueri magno in gyro uacua atria circum
Intenti ludo exercent, ille actus habena
Curuatis fertur spatijs, stupet inscia turba
Impubisq; manus, mirata uolubile buxum
Dant animos plagæ &c:

Nil nisi potantes. XIX.

Athenæus libro γ. Deipnosoph. Archestrati nobiliß. uersiculum in potores citat, οἱ πίνουσι μόνον, βατράχου τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες, id est, qui ranarum more tantum bibunt, nihil autem comedunt. Apud eundem Athenæum lib. 10. ex sententia Demetrij, qui cognomento Chalcus dictus, συμποσίου ναῦται dicuntur, hoc est, Nauitæ symposij, qui poculorum propinatione, nunc ad illum, nunc ad alium deuehũtur: de ijs in Plauti Mercatore quidam dixit, hortatur coquos tanquàm remiges in mari.

In ollis uenari. XX.

Apud Athenæũ ex Menandri Trophonio, Parasitus ἀθάλαω ἐν τοῖς λοπαδίοις ἁλίσκεται

κεῖ, tametsi mare nullo unquàm tempore attingat, in ollis tamen egregiam capturam assequitur. Prouerbium in eos competit, quibus nullum uinum gratius est, quàm alienum, qui uere dicuntur κόλακες: sunt enim iuxta Anaxilam Comicum, τῶν ἐχόντων οὐσίας σκώληκες.

Vltra Herculis columnas. XXI.

HEraclides Ponticus in Allegorijs Homeri, improbos Homerici poëmatis interpretes exigendos putat ὑπὲρ ἡρακλέους ἐσχάτας στήλας καὶ τὸν ἄβατον ὠκεανὸν θάλασσαν, id est, ultra extremas Herculis columnas & imperuium Oceanum: quo prouerbio Pindarus etiam utitur Isthmiorum Oda γ. in Melissum. Hoc nostra ætate commode detorseris in sophistas, qui cum ipsi sint omnium ineptissimi, & præ suis senticetis plane nihil sentiant, renascentes tamen utcunque literas opprimere nituntur: ad hæc, recte de bonis literis sentientes, nusquàm non uirulentissime proscindunt. Quis igitur hos Antronios asinos non ablegandos existimet ultra Columnas Herculis, ut ne quid aliud ipsorum imprudentissima imperitia dignius hoc loco dicam?

Quatuor habens capita. XXII.

ATheneus libro 10. de pno. scribit Menandrum de Byzantij uinosis atque temulentis mercatorib. dixisse, τέτταρας κεφαλὰς ἔχων, id est, quatuor habens capita. Siquidem ebrijs omnia gemmata

Ayuntamiento de Madrid

uidentur. Cuius rei rationē reddit Alexander Aphrodisiensis lib. 1. Problem. 121. Et Lactan. de Opificio dei cap. 9. Adagiū ad eos pertinet qui cum se largius inuitarint, sese putant nonnunquam pro uno multa capita gestare.

Vinum lac Veneris. XXIII.

Athenæus ibidem scribit Aristophanē uinum ἀφροδίτης γάλα, id est, lac Veneris dixisse, quòd immodicus uini usus rei Venereæ sit incitamentum. Sic Ouidius, Vina parant animos Veneri. Id quod passim apud omnes poëtas proditum est.

Vilior uiticis pomis. XXIIII.

Athenæus libro γ. ex Teleclide citat, φαυλότεροι φαυλίων μήλων, abiectiores uilibus pomis, de contemptissimis hominibus, quos Plautus dixit, Cassa nuce non emendos.

Barbam ab ulnis puerorum uellere. XXV.

Lucianus in tragœdia cui titulus ὠλυῶνος, πώγωνα τίλλειν παιδέων ὑπὸ ὠλένας, Barbā uelle à puerorum ulnis, hoc est, inanem laborem suscipere, & perinde nihil profuturum. Nam quod barbæ genus à puerorum ulnis uelli possit, ego non uideo. Barbam igitur à puerorum ulnis uellunt, qui sumunt inutilem operam, rebus egregie cōmodis passim præteritis & neglectis.

Ocream

Ayuntamiento de Madrid

Ocream capiti, tibiæ galeam adaptare. XXVI.

LVcianus in Rhetore, Ironicῶς Rhetorẽ sic instituit, ἀλλὰ τὸ πρῶτον ἐμπεσὸν, πρῶτον λεγέσθω, κἂν οὕτω τύχῃ, πρὸς τῷ μετώπῳ μὲν ἡ κνημίς, πρὸς τῇ κνήμῃ δὲ ἡ κόρυς. Verũ ut unũquodque primum inciderit, primo loco dicatur: ad hæc, si fors ita contigerit, fronti quidem ocrea, tibiæ uero galea adponatur. Prouerbium indicat nihil suo loco, sed omnia præposterе fieri. Adagio rursus utitur Lucianus in Commentariolo ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος, id est, de errore compellationis, ὥσπερ ἂν εἴτις κνημὴν τὸ κράνος, ἢ πρὸς τῇ κεφαλῇ τὰς κνημῖδας ἐπιδήσαιτο. Sallustius in bello Iugurthino præposteros homines uocat, qui maiorum acta, & Græcorum militaria præcepta tum primum legunt, quando iã consules facti sunt. Nam gerere, quàm fieri, tempore posterius est. Plinius scribit, Oryges esse contrario pilo, & ad caput uerso uestitos, ita reperias quosdã homines, qui nihil amẽt, nisi quod sit præposterum.

Chorus domesticus. XXVII.

LVcianus in eodem Rhetore χορὸν οἰκεῖον, Chorum domesticum prouerbialiter appellat Conductitios laudatores. Ita Cicero in secundo de Oratore, stultitiæ suæ quàmplurimos testes domestico præconio conducentis. Idem in 3. Verrina, mercenarium proœmium appellat.

Archilochi Vulpes. XXVIII.

BAsilius Magnus in Commentariolo ad Nepotes, καὶ τῆς ἀρχιλόχου ἀλώπεκος τὸ κερδαλέον τε καὶ ποικίλον ζηλώσωμεν, Archilocheæ uulpis uersutã atque uariam calliditatẽ imitemur. Adagium in eos dicitur qui pro re nata consilium expeditissime capiunt, quẽadmodum Archilochus in Apologis à se scriptis uulpem ubique callidissimam introduxit. Autore Philostrato in Iconib. cap. de fabulis: meminit eius rei & Ammonius in libello de differentijs uocum, dictione ἄν.

Vt templorum sacra XXIX.

AVlus Gellius Noctium Atticarum libro 17. cap. 11. Nisi qui Grammaticorum noua instituta, ut πεμένων ἱερὰ obseruant. Templorũ sacra uocat prouerbialiter, rem quam anxie et tanquàm religione quadam astricti colimus. Veluti si quis dicat senum consilia ut templorum sacra esse conseruanda: Sophistas impurissimas artes suas (nam artes ipsi uocant, quæ ne iustæ quidem artium partes existimandæ sunt) non aliter atquè templorũ sacra defendere.

De summo pectore. XXX.

IDem libro 17. cap. 13. Non me autem præterit dicere aliquem posse de summo pectore, nihil esse in ijs uerbis negotij. Idem lib. 5. cap. 1. hoc prouerbio usus est, de summo pectore, hoc est, uerbis impræmeditatis

ditatis & inconsultis. Homerus Iliad. libro γ. scribit Vlyssem ex intimis pectoris penetralibus uerba deprompsisse,

ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ὄσσα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει.

Cato Censorius dicere solebat, autore Plutarcho, Τὰ ῥήματα, τοῖς μὲν ἕλλησιν ἀπὸ χειλέων, τοῖς δὲ ῥωμαίοις ἀπὸ καρδίας φέρεσθαι, Græcis quidem uerba ex labijs, Rhomanis autem ab ipso corde proferri.

In montes offendere. XXXI.

AVgustinus de Ciuitate dei libro 8. cap. 16. tanta enim homines impij cæcitate in montes quodammodo offendunt, résque oculos suos ferientes nolunt uidere. In montes offendere dicuntur prouerbio, qui tam prodigiose cæcutiunt, ut non uideant id quod sit & maximum & perinde apertißimum, Vergil. in 11. dixit, Ante oculos intérque manus sunt omnia uestras, & Homerus de re compertißima, Odiß. O

χερσὶν ἀμφαφόωντο, ὀφθαλμοῖσ' ὁρῶντο.

Et manibus contingunt, & oculis ipsis intuentur,

Ambrones. XXXII.

FEstus pompeius scribit Ambrones turpis uitæ homines prouerbio fuisse dictos, Adagio ex hoc euentu nato, Siquidem Ambrones gens Gallica, cum subita maris inundatione suas sedes amisissent, ra-

pinis

pinis & prædationibus se suósque alere cœperunt, eos postea Marius deleuit. Eius rei locupletissime meminit Plutarchus in Mario.

Miseriorem quàm panus puerum XXXIII.

Nonius Marcellus, Prouerbium citat ex Nouij optione, qui me miserum miseriorem reddidit quàm panus puerum. De grauissima molestia commo de dicetur. Panus enim tumor est inguinum, ex formæ similitudine sic uocatus: hoc autem morbi genus ægrius patiuntur pueri.

Loricæ gladius. XXXIIII.

Cornelius Tacitus in dialogo de Oratorib. Loricæ gladius, in acie non firmius munimentum. Adagij usus est quoties summum præsidium indicamus. Neq; multum ab hoc discrepat quod aiunt, millus cani. Loricæ nulla est utilitas, nisi gladij etiam usus accesserit: ueluti si quis dicat, Loricæ gladiũ non esse firmius munimentum, quàm græcæ literæ latinas adiuuent & promoueant.

Contenti simus hoc Catone. XXXV.

Suetonius Trãquillus in Augusto, Augustus quotidiano sermone quædam frequentius usurpabat, ut cum hortaretur ferenda esse præsentia qualiacunque essent, dicebat contenti simus hoc Catone, hoc est, præsentem rerum cõditionẽ, quoniam aliter fieri non

Ayuntamiento de Madrid

non potest, æqui boniq; consulamus. Ita Cicero libro 4. epistolarum ad Atticum, plus unus Cato poterit quàm omnes quidem iudices,

Senator absq; prouocatione, Legatus sine mandatis. XXXVI.

Cicero libro 3. de Legibus, sed quæro quid hac re sit turpius, q̃ sine prouocatione Senator, Legatus sine mandatis. Adagia sunt egregie uenusta, de ijs qui cum nihil auctoritatis habeant, nullis deniq; ciuilibus muneribus fungãtur, uolunt tamen, ut consueuit imperiosum hoc hominum genus, primi esse in omni loco et tẽpore: ad hæc ingenerata quadam insolentia nihil non sibi tribuunt. Nemo autem ignorare potest, ex iureconsultorum et historicorum sententia prouocationes ad Senatũ fieri solitas, quãquàm lege à Publicola lata, ut Liuius libro 2. ab urbe condita docet, priscis Romanorum temporib. prouocatio à magistratibus ad populũ erat. Cæterũ quod ad Adagiũ pertinet, nemo Legatus esse potest, qui nõ reipublicæ suæ legitimis mãdatis instructus atq; aliò missus sit. Idem in 13. Philippica inquit, Senator uoluntarius lectus ipse à se, de ijs qui se negotijs alienis administrandis etiam non accersiti ingerunt.

Quasi thesaurum Draco. XXXVII.

Cicero in 13. Philippica, qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurũ Draco, de eo qui rẽ incredibili solicitudine custodiat, cuiusmodi senes auaros

auaros describunt Comici. Dracones dicuntur ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, quod est uidere. Clarissimã enim dicuntur habere oculorũ aciem, qua ex causa incubantes eos thesauris custodiæ causa finxerunt antiqui, Autore Festo Pompeio. Meminit & Artemidorus libro Oniroctiticõn α. cap. ιγ.

Ara. XXXVIII.

LAtini scriptores passim arám uocant prouerbio summum & incomparabile præsidium, & locum qui uice cuiusdam inuiolati sit asyli. Terent. in Heauton. Nec Aram nec precatorem. Cicero pro Roscio Comœdo, Ad domum eius tanquàm ad Aram confugit. Idem in quarta Verrina, Aram legum, & in 14. Philippica, Aram uirtutis appellat. Idem libro 3. de natura Deorum, quod uos cum facere non potestis, tanquàm in Aram confugitis ad deum. Plaut. in Mostellaria, ad Aram confugisti, Ouid. lib. 4. trist.

Vnica fortuna Ara reperta meis.

De Ara misericordiæ apud Athenienses instituta diximus abunde in Scholijs Demonactis Lucianici.

Hostibus eueniat. XXXIX.

VEtus est uerbum, ea quæ sint extrema & omniũ perniciosissima, hostibus imprecari. Id qd̃ ex optimorum autorum testimonio iam planũ faciam, Terentius in Heauton. Isthuc nostris inimicis siet. Idem in Eunuch. Vtinam sic sint qui mihi male uolunt.

Ayuntamiento de Madrid

lunt. Vergil.lib.3.Georg.

Dij meliora pijs, errorémque hostibus illum.

Horatius libro 3.Carminum Oda 27.

Hostium uxores puerique, cæcos
Sentiant motus orientis austri.

Ouidius,

Hostibus eueniant conuiuia talia nostris.

Idem in 3.de arte.

Hostibus eueniat tam fœdi causa pudoris.

Idem lib.3.Fastorum.

Eueniat nostris hostibus ille color.

Idem lib.3.Elegiarum.

Eueniat nostris hostibus ille pudor.

Idem lib. 2.Elegiarum.

Hostibus eueniat uacuo dormire cubili.

Hostibus eueniat uita seuera meis.

Propertius.

Hostibus eueniat lenta puella meis.

Serenus Sammonicus.

Sed fortuna potens omen conuertat in hostes.

Homerus Odyss.ϱ.de hostibus.

Τοὺς Ζεὺς ἐξολέσσε πρὶν ὑμῖν πῆμα γενέσθαι.

Nicander in Theriacis,

ἐχθρῶν τοῦ τέρα κεῖνα καρήασιν ἐμπελάσσε,

hoc est, inimicorum equidem illa capitibus accidant.

Max.Tyrius, Sermon. 30. aurum hostium ceruicibus imprecatur. Demosthenes in Epistola de blasphemijs Theramenis ὁι θεοὶ Τιθῶδ ἄδικον βλασφημίαν εἰς

αμ ἐις κεφαλὴν Ζεῦ λέγοντι τρέψωσι. Virg. in 8. de Mezentio.

Dij capiti illius generiq; reseruent.

Agamemnon de Troianis Iliad. lib. 8.

σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γανυξί τε καὶ τεκέεσσιν.

Antisthenes cuidam delitias laudati, ἐχθρῶν παῖδες inquit delicatè uiuãt, auctore Laërtio. Marius, ut Plutarchus in eius uita narrat, Byorigi Cymbrorum regi se in dimicationem prouocanti, Nunquàm inquit Romanorum mos fuit ut pro prælio adeundo consiliarijs hostibus utantur. Huc pertinet quod Stobæus scribit de Aristotele, ἀρισοτέλης διασάμενον νεανίσκον κατωφρυωμένον, μηδὲν ἢ ἐπισάμενον, νεανίσκε ἔφη, οἷος μὲν δοκεῖς αὐτὸς εἶναι ἐγὼ γενοίμην, οἱ δὲ τῇ ἀληθείᾳ ὑπάρχῃς, τοιοῦτοί μοι οἱ ἐχθροὶ γένοιντο. Aristoteles cum adulescentẽ elatiore supercilio superbientem, at prorsus in nulla re doctũ esse cerneret, Adulescens inquit, qualem equidem tu temetipsum esse credis, talem ego me optarim esse: at qualis es reipsa, tales mihi hostes eueniant. Memorabile uerbum est, quod extat apud Plutarchum in Pyrrho, Ciceronem de Senectute, & Valerium Maximum lib. 4. cap. 3. in hunc modum, C. Fabritius cum apud regem Pyrrhũ legatus esset, ac à Thessalo Cynea audiret Athenis quendam esse, qui se sapientem profiteretur, atq; diceret omnia quæ faceremus ad uoluptatem esse referenda, id ex eo audientes Manius Curius & T. Coruncanus optare solebant,

Ayuntamiento de Madrid

bant, ut id Samnitibus, ipsiq; Pyrrho persuaderetur, quo facilius uinci possent, cum se uoluptatibus dediderint, unde & Iuuenalis Satyra, 15. dixit,

Adde quod & facilis uictoria de madidis, &
Blæsis, atque mero titubantibus.

Certe Valerius Maxi. libro 9. cap. 1. dubitat, an perniciosius sit à uoluptatibus an ab hostibus capi. Addam unum hoc Plutarchi ex Commentario quomodo audiendi sint adulescentibus poëtæ, ἡμοδέῳ μὴ γὰρ ἄδικον τὴν ἀρετὴν μὴ τῷ θεάτρῳ, μαινάδα, δυάδα, φοιβάδα, λυσσάδα, κινησίας ἐνδὺς ἀντιφώνησε, τοιαύτησι δυγάτης γένοιτο. Cretenses etiam ut indicat Valerius Maxi. libro. 7. cap. 2. cum acerbissima execratione aduersus eos quos uehementer oderunt uti uolunt, ut mala consuetudine delectẽtur optant.

Ad gentiles & agnatos deducendus. XL.

VArro libro de re rustica 1. cap. 2. qui salubrem locum negligit, mente est captus, atq; ad agnatos et gentiles deducendus. Meminit et Columella in 1. Quando igitur hominem mota mente furere significamus, ad agnatos et gentiles esse deducendũ dicimus. Nam ex placitis iureconsultorum, furiosi et prodigi licet maiores uigintiquinq; annis sint, in curatione sunt agnatorum, ex legib. XII. tabularum.

Cantilena ex scholis XLI.

Cantilena ex scholis, prouerbio dicitur res nugatoria ac planè nullius utilitatis, cuiusmodi A.

Gellius

Gellius scholica nugalia uocat. Cice. lib. 1. de Oratore, Neque ex scholis cantilenam requirunt. Ita diuus Hieronymus in Proœmio 8. libri Cõmentariorum in Esaiam, Testamentum autem, inquit, Grunnij Corocottæ Porcelli decantant in scholis puerorũ agmina cachinnantium. Idem aduersus Rufinum, Quasi non Cyrrhatorum turba Milesiorum in scholis figmenta decantent, & testamentum suis cachinno membra concutiat. Quoniam autem hoc loco tanquàm aliud agentes, testamenti Grunnij porcelli mentionem fecimus, admonitum uolumus optimum quemque lectorem ne putet hoc esse γνῆσιον huius porci testamentum qd' quidam annis superioribus, nescio quibus admixtis ineptißimis ineptijs, deprauatum edidit. Mihi certe non placet hoc hominum genus quod rebus antiquis aliquid pro sua libidine solet adijcere, cum illæ germanam suam gratiam prorsus amittant, si quid aut addideris aut detraxeris. Proinde nos hoc testamentum egregie festiuum, ut à matre, hoc est, ab antiquißimo exemplari, Moguntiæ descripsimus, citra fraudem inuulgabimus.

Roscius. XLII.

FEstus Pompeius testatur à Roscio consummatiß. immo, Roscios fuisse dictos, qui in arte sua essent perfecti. De Roscio Cicero lib. 1. de Oratore, Itaque hoc est iam diu consecutus ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius dicere-

tur.

Ayuntamiento de Madrid

tur. Idem in Bruto de claris Oratorib. Et in scena esse Roscium intelligat. Idem in 2. de Oratore, Soleo sæpe mirari eorum impudentiã qui agunt in scena, gestũ spectãte Roscio: quis enim sese cõmouere potest cuius ille uitia nõ uideat? De Cicerone cũ Roscio in exprimẽdis sentẽtijs certãte, meminit Macrob.

Conchas legere. XLIII.

Conchas legere prouerbio dicuntur, qui ad animum remittendum nonnunquam ad ludicra quædã sese demittunt. Ita Cicero in 2. de Oratore, Sed tamen ita narrare solet Sceuola, Conchas eos ad Caietam, & Lucrinum legere consuesse, & ad omnem animi remißionem ludumq; descendere. Hic scio non defuturos qui me dicant etiã gignere prouerbia, qui si uelint, hoc Angelo Politiano rescribãt, qui prouerbio nominatim et apposite usus est in Miscellan. ca. 77. Atque eius uiri autoritas apud me longe sanctior est quàm ut metuam ab eius incomparabili eruditione uel latum digitum discedere. Valerius Maximus libro 8. cap. 8. de Scipione & Lælio, Ita animi quoque remißioni communiter acquiescebant. Constat nanq; eos Caietæ & Laurenti uagos, littoribus conchulas & calculos lectitasse.

ἀπάλαιστροι XLIIII.

A Palæstri prouerbio dicuntur incõpositi, & in aliqua arte parũ exercitati homines. Ci-

cero in Oratore pfecto, Itaq; qualis eorũ motus quos ἀπαλαίστους Græci uocãt, talis eorũ mihi uidetur oratio, qui nõ claudũt numeris sententias. Id qd Quintilia. in 9. attigit. Rursus Cicero libro 1. de legib. ubi de Antipatro loquitur, Habuitq; uires agrestis ille qdem atq; horridas, sine nitore ac Palæstra. Significat autẽ Palæstra, ut Budæus admonet, decẽtiam illã quã status, motus flexusq; corporis, ac õnes õnino habitus uenustatẽ quãdã leporẽq; præseferũt, quã qui nõ didicerũt, uere dicũtur ἀπάλαιστοι. Eiusdẽ rei Cicero meminit libro 1. de Oratore, et in Bruto, de Demetrio Phalereo. Aliter dixit Pindarus in Nemeis, ἀπάλαιστος ἐν λόγῳ de eo qui sit inuictæ eloquẽtiæ.

In Plauti Comœdia Mœchus. XLV.

AVlus Gellius noctiũ Atticarũ libro 1. cap. 7. Ne ut in Plauti comœdia Mœchus, ita in Ciceronis oratione solœcismus esset manifestarius: apd Plautum in Caßina, senex adulter aperte ab uxore deprehenditur. Proinde quod est apertuß. & nemini non cognitũ, manifestius esse dicimus, quàm in Plauti comœdia mœchum.

Caput tegere XLVI.

PLautus non uno loco dixit, adeò nudo & aperto capite, hoc est, ita perfricta frõte, quòd qui rubore suffundantur, caput atque faciem obtegere consueuerunt. Vlysses apud Homerũ in cõuiuio Alcinoi

noi Demodocũ canentẽ audiẽs, caput operit. Odyß. θ.
ταῦτ' ἄρ' ἀοιδὸς ἄοιδε πδιμλυτὸς, ἀυτὰρ ὀδυσεύς
ωοῤφύξεον μέγα φάρ Θ' ἑλὼν χεῤσὶ ſιβαρῆσι
κὰκκεφαλῆς ἔιξυσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωωα.
Sic de Telemacho Odyß. λ.
χλαῖναν ωοῤφυρέην ἄνω ὀφθαλμοῖσιν ἀναχώμ.
Seneca de uita beata, luxuriatur etiã inopto capite. Ita Quintus Calaber lib. 14. Paralipomenon de Helena,
καὶ ῥὰ καλυψαμένη κεφαλὴν ὑωένερθε καλύπτρῃ
Meminit & Petronius Arbiter,
Execratus aniculæ insidias, caput operui.
Aul. Gellius libro 19. cap. 9. Permittite mihi quæso operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse aiunt. Locus extat apud Platonẽ in Phædro. Sic & capite tecto dicimus, quoties uerecunde & reuerenter aliquid tractamus: meminit Theophrastus in libello cui titulus, Characteres.

Subula leonem excipere. XLVII.

PRouerbio utitur Seneca libro undecimo epistolarum in fine: cuius usus est, si quãdo rem periculi plenam leuibus admodum & infirmis præsidijs depellere uolumus. Subula leonem excipit, qui frigidis rationibus fortißima argumẽta cõuellere nititur.

In eodem ualetudinario iacere. XLVIII.

DE ijs dicitur qui eodẽ periculi genere et communi malo implicantur. Prouerbio utitur

Ayuntamiento de Madrid

Seneca libro tertio epistol. Non sum tam improbus ut curationes æger cbeam, sed tanquàm in eodē ualetudinario taceam, de communi malo tecum colloquor, remedia cōmunico. Cor. Tacitus in dialogo de Oratorib. Qui in eodem ualetudinario hæc ossa & hanc maciem probant.

Deos absentes testes facit. XLIX.

PLautus in Mercatore, Deos absentes testes memoras, quì ego isthuc credam tibi? prouerbiale de eo qui cum summa confidentia strenue mentiatur. Sic Aiax de Vlysse apud Ouidium,

Sua narrat Vlysses Quæ sine teste facit. Et Iuuenalis,

Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.

Gallinaceus Euclionis. L

AVsonius in præfatione Gryphi de ternario numero, Gallinaceum Euclionis prouerbio dixit, qui soleat omnia diligentissime perquirere & inuestigare, ne pulusculo quidem relicto, donec id inuenerit quod exquisita cura conquisierat.

Sapientes sunt qui ueteri uino utuntur. LI

QVod Plautus in Casina de ueteri uino dixit, hoc ad omnis antiquitatis commendationem pertinet. Homerus certe uetus uinum, diuinam potionem appellat Odyss. β.

ἐν δὲ πίδοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυποτοιο

ἔσασαν

ἔσασαν, ἄκρατον, θεῖον ποτὸν, αὐτὸς ἔχοντες.

Ouidius 2. de arte,

Qui properant, noua musta bibãt, mihi fundat auiliũ
Consulibus priscis condita testa merum.

Sapientiss. certe sunt existimãdi, qui scriptoribus antiquis utuntur, non ijs quos præposterè ueteres uocant, quos uappæ uerius et fæci q̃ uino cõparaueris. Gnathæna, siue ut alij Phryne, ut est apud Athenæum libro 13. ἐπιστόντος δὲ ἀνὸς οἶνον ἐν ψυκτῆρι σίῳ μικρὸν, καὶ ἐπόντος ὀλίγον ἐκκαυσκεκαέτης, μικρός τι ἔφη, ὅς τοσούτων ἐστ. Pindarus in Olympijs Oda. 9. αἶνεῖ παλαιόν

Nodus gordius. LII.

PRouerbium de re prorsus inexplicabili dicitur, Ausonius ad Paulinum,

Ocyus illa iugi fatalis soluere lora
Pellæum potuisse ducem reor abdita opertis
Principijs, & utroq; caput celantia nodo.

Idem in præfatione Bissulæ, Nec tu Alexandri Macedonis peruicaciam supergressus, qui fatalis iugi lora cum soluere non posset abscidit. Q. Curtius in exordio libri tertij, Alexãder urbe in suam ditionẽ redacta, Iouis templum intrat, uehiculum quo Gordium Midæ patrẽ uectum esse constabat aspexit, cultu haud sanè à uilioribus uulgatisq; curribus abhorrens. Notabile erat iugũ astrictũ pluribus nodis in semetipsos implicatis & celantibus nexus. Incolis deinde affir-

manibus editam esse oraculo sortē, Asiæ potiturum qui inexplicabile uinculum soluisset, cupido incessit animo eius sortis implendæ. Nequaquam igitur luctatus cum latētibus nodis, Nihil, inquit, interest quomodo soluantur, gladioq; ruptis omnibus loris, oraculi sortem uel elusit uel impleuit.

Etiam uetus arbustum transferri potest. LIII.

SEneca libro. 13. Epistolarum, Aegialus paterfamilias dicebat etiam uetus arbustū trāsferri posse. Adagiū est, omnē tādē ætatē posse ad optimā quāq; uiuēdi rationē trāsferri et accōmodari, quādo et senex Cato græcas literas didicit. Ita q; uerissimum sit hoc Publianum, Nulla est sera ad bonos mores uia.

Campana superbia. LIIII.

AVlus Gellius noctium Atticarū libro. 1. cap. 24, Epigramma Neuij plenum esse Campanæ superbiæ scribit. Sic autem habet,

Immortales mortales si fas foret flere,
Flerent diuæ Camenæ Neuium poëtam.
Itaq; postquàm est orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Rhomæ lingua latina loquier.

Campanā supbiā uocat arrogantē insolentiā et insolentissimā arrogantiā, quo nomine male auduunt Cāpani apud ueteres. Cicero in oratione post reditum in senatu, Capuæ ne te putabas, in qua urbe domicilīū quondā superbiæ fuit, esse consulē? Idē de lege

Agraria

Ayuntamiento de Madrid

Agraria contra Rullũ, Superbia Capuæ nata: et rursus, Campani semper superbi, bonitate agrorũ, magnitudine fructuũ, salubritate aëris, et pulchritudine regionis. Ex hac copia nata illa arrogantia, quæ à maioribus nostris alterũ cõsulẽ postulauit. Idẽ, Itaq; illã Cãpanã arrogãtiã atq; intolerãdã ferociã ratione & consilio maiores nostri ad inertissimũ & desidiosissimum ocium perduxerunt. Liuius Decad. 1. lib. 9. scribit esse Campanis ingenitam superbiam. Rursus de Campanis Decad. 3. lib. 5. sic inquit, Inde ingens ferocia superbæ suopte ingenio gemi creuit.

Surculum defringere. LV.

SVrculum defringere dixit Cicero in tertio de Oratore, aliquid ex disciplina quapiam mutuò sumere, sicuti perpetuò omnes artes alternis quibusdam præsidijs indigent, sic dicens, sed ut ex iure ciuili surculo defringendo usurpare uideantur: extat apud Ciceronem libro secundo de Oratore, festiuissimus iocus Siculi Pacuuij, cui cum familiaris quidam quereretur, qui diceret uxorem suam suspendisse se de ficu, Amabo te, inquit, da mihi de ista arbore quos seram surculos.

Lacinia obtinere. LVI.

CIcero in tertio de Oratore, Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitũ obtinent, atq; idipsum Lacinia. Lacinia tãtum

Ayuntamiento de Madrid

obtinere dicuntur, qui rem non integram intelligunt aut assequũtur. Plautus in Asinaria de amica amantem ægre dimittente, Lachrymantem lacinia tenet. Politianus in epistola ad Donatum prouerbiali Ironia dixit de hospite quem uideamur nolentes & inuiti dimittere, Væ hominis togæ, uæ lacinijs

Clausis thesauris incubare. LVII.

CLausis thesauris incubare dicuntur qui rem quidem poßidẽt, cæterum nec uti norunt, neq; frui possunt. Quintili. in x, Qui autẽ scierit, quo sint quæque modo dicenda, nisi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes casus habuerit eloquentiam, uelut clausis thesauris incubabit. Est autem sapientis uerbum, Thesauri abstrusi & absconditæ sapientiæ nullam esse utilitatem.

Ad arculas sedere. LVIII.

IDem Fabius lib. 12. Qui uelut ad arculas sedẽt & tela agentibus subministrãt. Ad arculas sedere cõmode dicuntur qui rerum agendarum alijs tanquã formulam quandam præscribunt: sedent etiam ad arculas qui planè nihil possunt nisi perpetuò libris adhæreant, à quibus si uel tãtulum abstracti fuerint, nihil est quod amplius præstare poßint. Quemadmodum autem scõbris in aqua sulphureus color est, extra qui cæteris, ita & hoc hominum genus donec libris suis adhærescere permittas, egregie doctum existimes,

postq̃

Ayuntamiento de Madrid

postquã ab arcula ſemoueris, hoc eſt, libros ademeris, idem eſſe cum impertitiſſimis quibuſq; deprehẽdas. Antiſthenes cum quidam illi familiaris ingenti cum dolore quereretur, quòd commentarios ſuos amiſiſſet, ἔδει γὰρ ἔφη σὺν τῇ ψυχῇ αὐτὰ, καὶ μὴ σὺν τοῖς χάρταις καταγράφειν, decebat, inquit, illa animo potius quàm chartis inſcripſiſſe.

Teucrum Pacuuij ediſcere. LIX.

CIcero in I. de Oratore, Mallem ediſcere Teucrum Pacuuij: de re magni negotij, & in qua conficienda oporteat ingentem laborem inſumere. Pacuuij Teucrum ſæpe citat Nonius Marcellus: eſt autem ueriſimile, poëma hoc fuiſſe arduũ et ex pari difficile, quod memoriæ non facile mandari potuerit.

Muſas hortari ut canant. LX.

AVſonius in epiſtol. ad Symmachum, eiuſmodi prouerbialia ſcitamenta, quibus ſignificamus nos eum inhortari qui ſua ſponte atq; adeò non rogatus in negotium incumbat, elegãter expreßit, Muſas hortari ut canant, maria ut effluant, auras ut uigeant, ignes ut caleant.

O domus antiqua. LXI.

PRouerbiale eſt quando non minus exitialem q̃ ingentem rei immutationem ſignificamus, ueluti ſi optimo principi peßimus ſuccederet, commode di

ceres,

Ayuntamiento de Madrid

ceres, O domus antiqua, heu quàm dispari dominaris domino. Cice. lib. 1. de officijs, Odiosum est enim quando à prætereuntibus dicitur, O domus antiqua &c. Huc allusit idem in secunda Philippica, O tecta ipsa misera quàm dispari domino, quanquã quomodo iste dominus? sed tamen quàm à dispari tenebãtur?

Nerui & artus sapientiæ sunt non temere credere. LXII.

IN oratione Qu. Cice. de petitione consulatus, citatur sententia Epicharmi, mirum nisi prouerbialis, Nerui et artus sapientiæ sunt non temere credere. Nemo citius fallitur, quàm qui temere credit, nemo uerò rectius iudicat q̃ qui re prius ex omni parte comperta atque explorata iudicat: qui celerius credunt quàm rem inuestigauerint, non semel & se & alios in maximum discrimen adduxerunt. Verbum hoc cumprimis nobile quum ad omnes pertineat, præcipue tamen principes officij sui commonefacit, qui si temere crediderint, & se atque suos inæstimandis malis inuoluent.

E scurra facilius diues q̃ paterfamilias fit. LXIII.

CIcero in oratione pro Quintio, Vetus est, de scurra facilius diuitẽ quàm patremfamilias fieri posse. Prouerbium ad improbos & desperatæ pro bitatis homines pertinet, qui nihil non prius assequi, quàm ad bonam frugem redire, possunt. Patrem familias

Ayuntamiento de Madrid

familias antiquitas integrum & inculpatæ existimationis uirum intelligit. Diuitias autem non semel assequuntur qui sunt omnium perditissimi. Sic Euripides apud Athenæum lib. 8. deipnosoph.

μὴ πλοῦτον εἴπῃς, οὐχὶ θαυμάζω θεόν
ὅν χὠ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο.

Demetrius auctore Seneca libro quarto natural. quæstionum, cuidam libertino potēti dicebat, facilem sibi esse ad diuitias uiam quo die bonæ mentis pœnituisset. Maxi. Tyrius sermone 30. putat eum facile posse magnam pecuniæ uim conquirere, qui semel omnem honestatem abiurauerit. Adagij nominatim meminit Romanus Aquila in commentario de figuris.

Lacuna. LXIIII.

Cicero in quarta Verrina, Vt illam rei familiaris Lacunam implerent. Lacunam dixit prouerbiali metaphora, acceptam in re familiari perniciem. Sic & Gellius libro primo cap. tertio, Lacunam famæ appellat, quando recta existimatio turpitudine aliqua admissa læditur. Cicero lib. duodecimo epist. ad Atti. de Cœlio, Vide quæso ne qua Lacuna sit in auro, hoc est, tacitum & non intellectum detrimentū. Eiusmodi metaphoris fœliciter usus est Cicero, quando in orationibus subinde uocat gurgitem uitiorum, sentinam urbis, strumam ciuitatis, scopulos reipublicæ, uulturios paludatos, nuntios pegasos, uoraginem patrimonij, insaturabile abdomen,

ex uepre

ex uepretulis extractã nitedulã: sed & Antitheta in oratione apud eũdum posita prouerbiales formas resipiunt, ut in negotio sine periculo, in otio cum dignitate, in conuiuio sobrius, in sobrietate facetus, honores sine ambitione, diuitiæ sine fastu, copia sine luxuria, & reliqua eius generis infinita.

Securim inijcere. LXV.

CIcero pro Murena, Quam te securim putas iniecisse petitioni tuæ? Securim inijcere prouerbiali metaphora dicuntur qui dispendium afferunt, qui præpediunt in eo quod assequi cupias, aut rem in apertum discrimen adducunt: ita suæ petitioni securim inijcere dixit, qui ipse suam petitionem aliquo incommodo labefactarit. Idem pro Plancio, Quam grauiorem potuerunt reipublicæ infligere securim? infligere reipublicæ securim dixit qui eam maximo magno malo læserit. Plautus in Mostellaria, pilum inijcere dixit. Iuuenalis in 10 Satyr.

Impacta securis cædit.

Vnguis in ulcere, ulcus. LXVI.

IDem pro domo sua ad pontifices, & tu in hoc ulcere tanquam unguis existens. Vnguem in ulcere uocat rem molestiß. quæ cum magno dolore uix ferri poßit. Non dißimili prouerbio Plato uocat Vlcus, rem molestijs infinitis plenã, & quæ semper aliquid habeat de quo poßis queri, sic dicens in Axiocho,

ἀλλ'

Ayuntamiento de Madrid

ἀλλ' ἡ γεωργία γλυκύ, δῆλον, ἀλλ' οὐχ ὅλον ὥς φασιν ἕλκος, αἰεὶ λύπης προφάσιν εὐρισκόμενον; id est, uerum dulcis est agricultura, est sane, nonne tota tamen quod aiunt ulcus est, semper paratam doloris habens causam? ita Sophocles in Antigone, γένοιτ' ἂν ἕλκος μεῖζον ἢ φίλου κακός.

Equus Troianus. LXVII.

EQuum Troianum prouerbio dicimus tacitas insidias & paucis intellectam imposturam. Sic enim Cicero non semel usus est, pro M. Cœlio. An Equus Troianus fuerit, qui tot inuictos utros muliebre bellum gerẽtes tulerit? Pro Murena, Intus, intus inquam, est Equus Troianus à quo nunquam me Consule dormientes opprimemini. Et in 2. Antoniana, in huius me consilij societatem tãquam in Equũ Troianum includi cum principibus non recuso. Cæterum Equi Troiani descriptio ex Homero & Virgilio notior est, quàm ut hic recẽseri debeat. Macrobius scribit Cincium in suasione legis Fanniæ seculo suo obiecisse, quòd porcum Troianum, hoc est, inclusis etiam alijs animalibus grauidum mensis inferrent.

Ex fastis euellendi. LXVIII.

CIcero pro Publio Sestio prouerbio utitur, Nimirum improbos & contaminatæ uitæ homines quos monstra uerius & pecudes dixeris ex fastis esse euellendos, hoc est, memoriam eorum esse penitus abolendam

abolendam, & nullo unq̃ tempore mentionem eorum esse faciendã. Quemadmodum Atheniẽses publico decreto sanxerunt, ne unq̃ nomina fortissimorum iuuenum Harmodij et Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam Tyrannum interficere adorsi erãt, indere liceret, autore Gellio lib. 9. cap. 2.

Sanæ corporis parti scalpellũ adhibere. LXIX.

PRouerbij usus est, quoties aliquid præpostere fit, & eo loco præsidium adhibetur, ubi minime opus fuerat. Ita Cicero pro Sestio, non ea est medicina cum sanæ parti corporis scalpellum adhibetur.

Bambalio. LXX.

CIcero in 3. Antoniana, Bambalio quidã pater, homo nullo numero, nihil illo cõtemptius, qui præter hæsitantiam lingnæ stuporemq; cordis, cognomen ex contumelia traxerit. Bambalionem abiectiss. hominem appellat, quem non minus turpe corporis filum, quàm impura oratio deformet. Βαμβάλερ apud Hesychium est τοῖς χείλεσι τρέμερ, labijs tremere. Βάμβαλ\ Phryges pudẽdam corporis partem appellant, à qua & Bãbalio dictus uideri possit. Frãciscus Philelph. in Saty. Pogiũ Bambalionis cognomento notauit.

Saga sumere. LXXI.

Saga sumere, saga parare, ad saga ire, dixit Cicero in 6. Philippica, & in alijs compluribus locis

pro

Ayuntamiento de Madrid

pro eo quod est sese ad certamen accingere, usus est & Velleius Paterculus lib. 2. Vtq; ad saga iretur, hoc est, ut omnes sese ad bellum pararent.

Ratio apparet, argentum οἴχεται. LXXII.

PRouerbij usus est, quoties significamus, nos optime quidem rationes confecisse, sed reliqua cõsumpsisse, ita quòd cum rationibus paria facere nequeamus. Plautus in Trinummo, Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται, id est, abijt, exceßit, non extat. Terentius in Phormione, Non ratio, uerũm argentum deerat. Cicero in Pisonem, Perscriptis rationibus secum ipse caput sinistra manu perfricans cõmurmuratus sit, Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται. Huic adagio non dißimile est cuius meminit Aristophanes in Nebulis, ὥσπερ πδικλέους εἰς τὸ δέον ἀπώλεσα. Siquidem Pericles quũ Astyanacti Lacedæmoniorum duci pecuniam daret, ut ex Attica, quam bello infestabat, discederet, reddens impendiorũ rationẽ, nec aperte uolẽs magistratibus rem ostendere, ita respondit, εἰς τὸ δέον, hoc est, in rem oportunam & necessariam, quanquã interpres Aristophanis huius responsionis diuersas causas afferat.

Calcei Sicyonij. LXXIII.

Υποδήματα σικυώνια, Calcei Sicyonij quẽ admodũ et Stephanus meminit, prouerbio dicũtur de re pulchra quidẽ, sed quæ uirũ parum deceat. Cicero

in

Ayuntamiento de Madrid

in I. *de Oratore, ubi de Socrate loquitur, Quin etiã cum ei scriptam orationẽ disertus orator* Lysias *attulisset, quã si ei uideretur edisceret, et ea pro se in iudicio uteretur, non inuitus legit, et cõmode scriptã esse dixit: sed, inqt, ut si mihi calœos Sicyonios attulisses, nõ uterer, quàmuis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent uiriles, sic illam orationem disertam sibi & oratoriam uideri, fortem & uirilem non uideri. Athenæus libro quarto meminit saltatores in conuiuijs Sicyonijs esse usos. Nam σικυώνια, tantum pleriq; Græci uocant eiusmodi effœminatũ calceorũ genus. Lucianus in* Rhetore, ἢ ἐμβὰς σικυωνία τοῖς λευκοῖς ἐπιτρέπουσα, *id est, Solea Sicyonia albis uinculis ornata. Lucretius in quarto de delicatiß. mollicie scribens,*

Languent officia, atq; ægrotat fama uacillans,
Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Festus Pompeius citat hunc uersiculum Lucilij,

Et pedibus læua Sicyonia demit honesta.

Prouerbio usus est & Picus ad Hermolaum Barbarum libro 9. *Epistolarum Ang. Politiani.*

Cogitato quàm longa sit hyems. LXXIIII.

CAto *de re rustica, Cogitato quàm lõga sit hyems. Vetus hoc rusticum uerbum merito debet allegi in classem adagiorum: significat autem et frugaliter & parce uiuendum esse, ne nobis id contingat quod à formicis audiũt cicadæ apud Aesopum,*

Aesta

Ayuntamiento de Madrid

Aestate cecinistis, hyeme igitur saltate. De sumptibus moderandis extat apud Græcos elegans Epigramma titulo Luciani,

ὡς πενικὸς μὲν τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
ὡς δὲ βιωσάμενος φείδεο σῶν κτεάνων.
ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας
φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο.

Quos uersus nõ ineleganter uertit Thomas Morus.

Tanq̃ iam moriturus partis utere rebus,
Tanquã uicturus denuò parce tuis.
Ille sapit qui perpensis his rite duobus,
Parcus erit certo munificusq; modo.

Huc pertinet hoc Lucretij libro quinto,

Diuitiæ grandes homini sunt uiuere parce
Aequo animo: neq; enim est unq̃ pœnuria parui.

Et Claudianus,

Viuitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus esse dedit si quis cognouerit uti.

Fasces submittere. LXXV.

FAsces submittere prouerbiali metaphora dicimus, alicuius auctoritati, eruditioni, ingenio, siue sententiæ ingenue cedere. Cice. in Bruto de claris Oratorib. Cum tibi ætas nostra iam cederet, fascesq; submitteret. Plinius citra metaphoram extulit libro septimo cap. xxx. Cn. Pompeius cõfecto Mithridatico bello intraturus Poßidonij sapiẽtia clari domum, fores percuti de more à lictore uetuit, et fasces licto-

Ayuntamiento de Madrid

rios ianuæ submisit, is cui se oriens occidénsque submiserat. Valerius Publicola, cum posset imperij summi, id est, consulatus iure uti agẽdo cum populo, fasces tamen maiestati populi Romani submisit, hoc est, à se lictores tamisper abire iussit quoad concionatus esset, quæ res illi perpetuam gratiam conciliauit, ut autor est Liuius in secundo.

Ad inferos proficisci. LXXVI.

ARtemidorus libro Onerocriticõn ß. cap. ξ. ἡχὴ ὁι παλαιοὶ τοὺς μακρὰν ἀποδημίαν ἀποδημήσαντες, εἰς ᾅδου πορευθῆναι ἔλεγον, uetere eos qui longiorem profectionem suscepissent, ad inferos proficisci dixerunt, quemadmodum eos ex inferis redijsse dicimus, qui præter omniũ expectationẽ conualescunt aut conseruantur. Cicero in Bruto dixit ab inferis testes excitare. Eustathius in Dionysij Perihegesin prouerbiũ citat εἰς πόντον ἀπελθεῖν, in pontum abire, perinde ac si dixeris in præsentariam pernitiem.

Tritones piscinarum. LXXVII.

CIcero libro secundo epistol. ad Atticum, Erit nebulo iste cum ijs dynastis in gratia, non modo de Cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarũ tritonibus poterit se iactare. Tritones piscinarũ adpellat, qui ob potentiã aut aliã præstabilem facultatem in republica, partes aliorum sibi uendicant.

Pygmæum

Ayuntamiento de Madrid

Pygmæum imponere
Colosso. LXXVIII.

PHilostratus in sophista Nicete, prouerbio dixit, Pygmæũ imponere Colosso, hoc est, rem minutam & abiectam, amplißimam efficere. Cicero dixit arcem facere ex cloaca.

In cauea minus bene canit luscinia. LXXIX.

IDem in Scopeliano dixit, in cauea minus bene canere luscinam: quo prouerbio commodè utemur, si quando significamus, libertatem esse rem inæstimabilem, & ingenia libera rebus omnibus agendis esse accommodatiora. Homerus Odyß. libro ϛ. scribit, Iouem omnibus seruis dimidiam animi portionem abstulisse, auus et Plato in sexto libro de legibus meminit, ἥμισυ γὰρ τ᾽ ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς ἀνέρ᾽ Θ. ἔυτ᾽ ἄρ μιν καταλδόλιν ἷμας ἕλησι.

Latrunculis ludere. LXXX.

SEneca festiuißime dixit latrunculis ludere, de ijs qui sese decipiunt mutua uerborum captione. Latrũculorũ ludus ex Ouidio et Martiali notißimus est.

Laureolam in Mustaceo quærere. LXXXI.

CIcero lib. quinto epistolarum ad Atticum, Venit interim Bibulus, credo uoluit hac appellatione nobis esse par, in eodem Amano cœpit Laureolam in

lã in mustaceo quærere. Prouerbio significamus aliquem in re minima multum gloriæ quærere. Plinius scribit libro.15.cap.30.ex sententia Põpeij Lenæi, Laurum mustaceis subijci solitam, quæ ob id cognomento uocaretur Mustaæ.

Bos armenta. LXXXII.

PRouerbium indicat unũquenq; sua quadam ingenerata uoluptate teneri, atq; ea præcipue sequi, quæ similitudine quadam commẽdatiora fiant. Cice.lib. 7. epistol. ad Atticũ, ut bos armenta, sic ego bonos uiros aut eos quicunq; dicentur boni sequar, etiamsi ruent.

Pennas incidere. LXXXIII.

PEnnas incidere prouerbio dicimus, imminere potestatem, aut arrogantiam reprimere. Ita Cicero lib.quarto episto.ad Atti. qui mihi pennas inderant, nolunt easdem renasci: metaphora ab auibus desumpta, quæ pẽnis incisis nequeũt se altius tollere.

Mures migrauerunt. LXXXIIII.

SIc diamus prouerbio quando grauissimã ruinam aut præsentem calamitatem imminere significamus. Cicero libro decimoquarto episto. ad Atticum, Tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæ rimas agunt. Itaque non solum inquilini, sed mures migrauerunt. Plinius lib. octauo capite uigesimooctauo de prognosticis

ſticis animalium, ruinis imminentibus muſculi præmigrant, aranei cum telis primi cadunt.

Problema Archimedeum, LXXXV.

CIcero libro duodecimo epiſtolarũ ad Atticum, πρόβλημα ἀρχιμήδει uocat quæſtionẽ reconditam & implicatam, quæ à nemine uel à paucis intelligi poßit. Idem libro ſeptimo ad Atticum, rem abditiß. numero Platonis obſcuriorem uocat. Vitruuius libro nono capitẽ tertio ſcribit Archimedem ſi quid abſtruſum & multo labore quæſitum, uix tandẽ inueniſſet, ſolitum exilire gaudio & currentem identidem exclamaſſe, εὕρηκα εὕρηκα, id eſt, reperi tãdem reperi. Exemplum incredibilis & nunquam intermißi ſtudij Archimedis recẽſet Plutarchus in commentariolo, utrum ſeni ſit adminiſtranda reſpub. ἀρχιμήδην δὲ τῇ σανίδι προσκείμενον ἀποστῶντες βίᾳ καὶ ἀποδύοντες ἔλληθον οἱ θεράποντες, ὁ δ' ὥστε τὸ σώματος ἀλλήλοις μὴ διέγραφε τὰ σχήματα.

Byßina uerba. LXXXVI.

PLutarchus in Apophtheg. παρυσάτις ἡ κύρου καὶ ἀρταξέρξου μήτηρ ἐκέλευσε τὸν βασιλέα μέλλοντα μετὰ παῤῥησίας διαλέγεσθαι εὐσταθοῖς χρῆσθαι ῥήμασι, hoc eſt, Paryſatis Cyri et Artaxerxis mater, iubebat eũ qui regem liberius eſſet alloquturus Byßinis uti uerbis. Byßina uerba uocat quæ

Ayuntamiento de Madrid

nitorem habeant cum grauitate mixtum, immo q uæ commonendi asperitatem, iucundo quodam cãdore, atq; adeò niuea quadam facilitate condiant. Aristoteles etiã præcipit cum principibus aut rarissime aut iucundissime colloquendum esse.

Computatorum digiti. LXXXVII.

COmputatorum digitos eleganti prouerbio dicimus qui uarijs & inæquis fortunæ casibus obnoxij sunt. Plutarchus in Apophtheg. ὀρόντης ὁ βασιλέως ἀρταξέρξου γαμβρὸς ἀλμία περιπεσὼν διὰ ὀργὴν καὶ καταγνωσθεὶς ἔφη, καθάπερ οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι, νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα διδέναι δύνανται, ὃ δὲ αὐδὲ μὴ τῶν βασιλέ φίλους νῦν μὲν δύνανται, ὃ δὲ αὐδὲ τ βασιλέ φίλους νῦν μὲν ὃ πᾶν δύνασθε, νῦν δὲ τὸ λάχισον, *hoc est, Orontes Artaxerxis regis gener, cum ob iracundiã, honorato loco excidisset, Quemadmodum, inquit, Arithmeticorum digiti, nunc myriades, nunc autem unum tantum significant, ita regũ quoq; amici siue purpurati, nũc omnia, nunc autẽ nihil omnino poßunt. Laërtius hoc Soloni tribuit.*

Terram uideo. LXXXVIII.

PRouerbium est cumprimis elegans, quoties significamus nos habere ærtißima præsidia, ad hæc portum quendam tranquillitatis nactos esse. Cicero libro 2. epistolarum ad Atticum, Cupio istorum naufra

Ayuntamiento de Madrid

naufragia ex terra intueri. Plautus in Menæchmis, ex alto terrã aspiære uoluptas est nautarum, Homerus Odysseæ O.

ὄυτωτὴρ δὲ τε γαῖαν ἐγὼν ἴδον ὀφθαλμοῖσιν.

Rursus Odyss. Ψ. Natantes terram cum summa lætitia aspiære, ut ex Plauto iam ostendi.

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀσπασίως γῆν νηχομένοισι φανείη etc.

Quod Statius lib. septimo Thebaid. ita reddidit,

dulcis medij de gurgite ponti Respicitur tellus.

Et libro secundo Theb.

Nec minus hæc læti trahimus solatia quàm si
Præcipiti conuulsa noto, prospectet amicam
Puppis humum &c.

Ciæro de Senectute, quæ mihi quidẽ tam iucunda est, ut quo propius ad mortem accedam quasi terrã uidear uidere, aliquandóq; in portum ex longa nauigatione esse uenturus. Plautus in Mercatore, atq; equidẽ iam me cænsebã esse in terra, id est, in loco tuto, & tranquillo. Qu. Curtius in quarto, Haud secus q̃ profundũ æquor ingressi, terrã oculis requirunt. Diogenes autore Laërtio cum in prolixiorem librũ incidisset, ac legendo tandẽ ad finem peruenisset, Bono, inquit, estote animo uiri, nam terrã aspicio. Prouerbio usus est et Cice. p Murena et Plutar. in Antonio.

Neq; remi neq; uenti. LXXXIX.

Cicero in 1. Philippica, prouerbialiter dixit, Neq; remi neq; uenti, de ijs qui omnibus omnium

præsidijs destituti sunt. Siquidem Homerus nauigationem adiuuare dixit,

πρῶτα μὲν ἐρετμίω, μετέπειτα δὲ καλλιμόρους.

Et Odyß. Δ. οὐ γὰρ οἱ παρὰ νῆες ἐπήρετμοι Θ' ἐπιτάρροι, neq; remiges, neq; socij. Idē de prospera nauigatione Odyssea. γ. φέρων ἄνεμόν τε Θ' ὀρωρῶς. quod Virgilius ita reddidit,

Prosequitur surgens à puppi uentus euntes.

Quantum pedes nostri poßunt. XC.

SOcrates Platonicus in Gorgia, præcipit intemperantiam esse fugiendam ὡς ὅσον ποδῶν ἡμῶν, quantum pedes nostri possunt, hoc est, omnibus uiribus. Homerus Iliad. libro v.

ἀλλ' ὅσον μέν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε.

Vita Charadrij, XCI.

PLato in Gorgia Charadrij uitā intelligit hominis intemperantis, qui nunq̄ expleri poßit, & in quem omnia influunt ut rursus effluant, ut Seneca dixit. Ita Socrates loquitur, χαραδρίου ζωὰ οὖν σὺ βίον λέγεις, Charadrij quādam uitā refers. Charadrium autem Thëodorus apud Aristotelem uertit rupicem siue hiaticolam: nam ut interpres Aristophanis in Auib. docet, ὠνομαστοποιητὸν ὄρνεον παρὰ τὰς χαράδρας διαῤῥίβειν, auis hæc ita dicta est quòd hiatus & terræ uoragines incolat. Itidem et intemperantes & incontinētes homines qui nunquàm

ex pleri

ex pleri possunt, perpetuò ganearum nidorem sequũtur, & nepotum proseuchas incolunt. Suidas citat aliud prouerbium ex Didymo, χαραδριὸν μιμούμενος, id est, Charadrium imitans, de ijs qui sese occultare soleant. Siquidẽ auem hanc uendentes, occultare consueuerunt, ne prius emptori prosit quàm sit uendita. Nam regio morbo laborãtes quamprimum Charadriũ aspexerint cõualescunt. Plinius hoc ictero aui tribuit libro xxx. capite undecimo.

Musca est. XCII.

NOn ignoro parasitos etiam Muscas appellari, uerũ in aliam sententiã. Plautus Muscam eleganti prouerbio dixit hominẽ mirifice curiosum, qui nihil nõ exquirat atq; penetret. Sic in Mercatore, Musca est meus pater, nihil potest clam illũ haberi. Nec sacrum nec tam prophanum quicq̃ est quin adsit ibi illico.

Mittere lineam. XCIII.

PLautus in Mostellaria, Non ego ita extemplo meum ostendam sensum, mittam lineam. Metaphora à pictoribus desumpta, lineam mittere dicuntur, qui rem tantum adumbrant & coniecturis quibusdam inquirendam proponunt. Siquidem ex linearum ductu, iustum etiam picturæ artificium discimus. Vnde uersiculus ille paßim celebratur, Linea quæ uerterem longe fateatur Apellem.

Nullus

Nullus aleator sapientior. XCIIII.

PLautus in Rudente dixit, nullus aleator te sapientior est, de homine uersutissimo, & qui pro re nata facile possit consilium capere. Cæterũ aleæ ludus tanquam probrosus interdictus erat apud ueteres, id quod Cicero in 2. Phili. & Plutarchus περὶ δυσωπίας indicant, & Horatius inquit,

Et uetita legibus alea.

Literatus. XCV.

PLautus in Casina, si hic literatus me sinat. Literatũ uocat hominẽ abiectiss. stigmatis inustum, & ut Cicero atque Valerius dixerunt, notis threicijs compunctum, sed & cicatricibus deformatum ut iure consulti scribunt. Ita Plinius libro 18. cap. 3. uocat inscriptos uultus. Philippus Macedo Alexandri magni pater militis ingrati frontem literis insigniri iussit, ut ex ijs tanquam ingratitudinis indicijs ab omnibus contemptibilis haberetur.

Indoctior q̃ in Tragœdia comici. XCVI.

PLautus in Pœnulo, quin ædepol sum indoctior quàm in Tragœdia comici. Prouerbium indicat summam in aliqua re agenda imperitiam: quemadmodum enim in Tragœdia comici, ita & in cõmœdia tragici minus præstare possunt. Laërtius in Xenocrate, & Valerius Maximus libro quarto cap. tertio, rationẽ reddunt quamobrem poëtæ præstent, etiam in

pedestri

Ayuntamiento de Madrid

pedestri oratione scribenda: Cæterum qui pedestri oratione scribunt, si quando poëticæ partes sibi uendicare uelint, nihil planè posse consequi.

Ad perpendiculum. XCVII.

AD perpendiculum Cicero dixit, de eo quod amussitatè & inculpatè compositum sit. Gellius libro 20. cap. primo, dixit in librili perpendere. Varro de re Rustica libro primo cap. sexto, Cãpum ad libellam æquum uocat, qui sit ex omni parte & prorsus æquabiliter planus. Plinius etiã libro 36. cap. 25. ad libellã exigere dixit. Plinius iunior libro octauo epistolarum ad Colonem dixit, Pari libra, pro eo quod est æquabili iudicio & pari censura, Vitruuius lib. 7. dixit ad regulã respõdere, hoc est, exactissime cõpetere et quadrare. Metaphora à structuris sũpta.

Volsellis pugnare non gladijs. XCVIII.

VArro lib. quinto de lingua latina prouerbiali uerbo utitur, Volsellis pugnant non gladijs: quo commode possumus uti uel aduersus eos qui parum uiri sunt, nempe qui Volsellis ita sint uulsi iuxta sententiam Ciceronis, ut nec unicum pilum boni uiri habeant, uel in eos qui prorsus infirmis argumentis utantur. Cæterum de Vulsis corporibus in Demonacte Luciani abunde diximus.

Rectis an inclinatis hastis. XCIX.

LYsander apud Plutarchum in Apophthegmatis, cum per agros Bœotiorum agmen duceret, atque

atque dubitaret cui tandem parti illi adhærerent, mi sit ad eos interrogans, an per eorum regionem ὀρθοῖς τοῖς δόρασιν ἢ κεκλιμένοις, id est, erectis an inclinatis lanceis proficisci posset. Nimirum an ut amico siue ut hosti isthic sibi transeundum esset.

Fortes in tabula. C.

PLutarchus in Apophth. Laconicis, ἐπεὶ δὲ ἰδών τινας ἐν πίνακι γραπτῷ λάκωνας ὑπὸ ἀθηναίων σφαττομένους, ἔλεγεν, ἀνδρεῖοι γ' ἀθηναῖοι, λάκων ὑποτυχών, ἐν τῷ πίνακι, εἴπερ, Quidam cum in tabula picta Lacones uideret ab Atheniẽsibus interfici, atque ob id diceret, fortes equidem Athenienses sunt, Lacon forte fortuna incidens subiecit, Et in tabula quidem: fortes autem in tabula sunt qui fictitia fortitudine passim sese uenditant, cæterum cum ad serium certamen peruentum est, tum non milites sed planè mulieres esse uideas. Docti quidem in tabula sophistæ sunt, uerùm ubi eos excusseris, quàm nihil nisi Antronios asinos, aut siquid ijs rudius, aut impolitius dici possit, inuenias.

Nondum omnium dierum Sol occidit. CI.

ELegans adagio est quo Philippus apud Liuium utitur decad. quartæ, libro nono, Nondum omnium dierum solem occidisse, quando significamus finem rei nondum apparere, ad quem adhuc multis & incertis periculis peruentendum sit.

Etiam

Ayuntamiento de Madrid

Etiam inter uepres rosæ nascuntur. CII.

AMmianus Marcellinus lib. decimosexto, cum de Entherio Eunucho loqueretur, sic inquit, Sed inter uepres rosæ nascuntur, & inter feras non nullæ mitescunt. Hoc geminum prouerbium ostendit in omni hominum genere, quantumuis peruerso ac deplorato, reperiri tamen aliquot bonos uiros & qui moribus minime sint asperuādis. Gregorius theolog. in uita Athanasij dixit, φυεσθαι καὶ ἐξ ἀμπέλου βάτος, id est, nasci etiam è uite rubum, hoc est, ex optimo parente nonnunquā peßimum filium.

Rhomæ quoque homines moriuntur CIII.

IDem decimosexto, Is ipse interrogatus quid de Rhoma sentiret, id tantum sibi placuisse aiebat, quòd didicisset ibi quoque homines mori: prouerbium significat ineuitabilem esse mortem, quòcunq; tandem secesseris, id quod eleganter extulit Martialis,

Nullo fata loco poßis excludere, cum mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia est.

Ne Sannione domi relicto CIIII.

IDem libro decimoquarto, Agitant familiarium agmina, tanquā prædatorios globos post terga trahentes, ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto. Adagium ex Eunucho Teremiana dicitur in

cos

eos, qui cum in publicum prodeunt, magnifico & frequenti comitatu delectantur, quo potentiores esse uideantur. Eiusmodi multos in principum aulis inuenias, qui passim seruorum et comitum multitudinem contrahant, quum apud ueteres, ut Athenæus docet, & Apuleius in prima apologetica meminit, præstantiss. quique Rhomani, paucitate famulitij, sic enim ille inquit, gloriati sint. M. Antonius octo seruos habuit. Manius Curius cum duobus tantum colonib. uteretur, pauciores seruos habuit, quàm triumphos. Marcus Cato tres tantum seruos in Hispaniam ex urbe secum duxit. Idem autore Plutarcho quinque tãtum seruos in militia habuit, quod & de Scipione Aemiliano Plinius scribit, eum duobus tantũ seruis, siquando etiam ad reges mitteretur, esse usum.

Tunc canunt cycni, quãdo tacuerint graculi. CV.

Basilius magnus in epistola ad Celeusium, ἐγὼ δὲ παροιμίαν ἐρῶ, μάλιστα μὲν ἀληθῆ, μάλιστα δὲ σώτομεν, ὅτι τότε ᾄσονται κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσιν. Prouerbio locus est, tum doctis oportunum esse, ut de bonis rebus q̃ possunt erudtissime disserant, quãdo imperitis prius tanquã aqua & igni interdictum sit ne loquantur. Eiusmodi dissimilitudinum plures prouerbiales formulas Ausonius ad Paulinum eleganter expressit,

Si uitulum tauro, uel equum committis onagro,
Si confers fulicas cycnis, & aëdona parrae,

Castane

Castaneis corylos æques, uiburna cupreßis.

Lamiæ turris. CVI.

QVintus Septimius Florens Tertullianus in libro aduersus Valentinianos, Nonne tale aliquid dabitur te in infantia inter somni difficultates à nutricula audisse, Lamiæ turres &c. Prouerbium est, de re quæ fingitur esse mire formidabilis, cum tamẽ omni periculo careat: quemadmodũ infantibus horribilia de Lamijs nutriculæ narrare consueuerũt. Nonius Marcellus et Lactãtius lib. I. cap. xxij. diuinarum institutionũ, hos uersus ex Lucilio poëta dãt,

Terricolas lamias, fauni quas Pompilijq;
Instituere Numæ, tremit has, hic omnia ponit
Vt pueri infantes credũt signa omnia ahena
Viuere, et esse homines, sic isti hæc õnia ficta
Vera putãt, credũt signis cor inesse & ahenis.

De Lamijs & multa & abstrusa quædam diximus in Lamiam Politiani.

Qualẽ demẽs ille Chlamydẽ disperdit? CVII.

TErtulianus in lib. de pallio dãt ex Menãdro Comico, mirũ nisi puerbiale, Qualẽ demẽs ille chlamydẽ disperdit? quod in eos cõmode dicetur, qui rẽ suã uiui uidẽtesq; decoquũt, imo q̃ sua spõte sese in maxima magna mala cõijciũt, aiusmodi plures reperias q̃ cũ neq; per se, nec ex alijs sapiãt, nõ iã chlamydẽ tãtũ, sed et sese ipsos miserãdũ in modũ pdũt.

Locum

Ayuntamiento de Madrid

Locum in balneis occupare. CVIII.

IDem libro 3.contra Marcionem, Idcirco quasi locum in balneis, ita fidem occupauit. Adagium pertinet ad ambitiosulos, qui primi uolunt esse in omni loco & tempore, qui passim in omnibus publicis locis primas ambiunt, ac præ cæteris insolentiß. uideri uolunt. Nunc diuites matronæ consueuerunt primum sibi locum in balneis deligere, utinam pari studio ad hæc commendatiore ambitione contēderent, & bonos mores assequi, atque arctam existimationem paulo inculpatius tueri.

Deorum liberi sunt inuulnerabiles. CIX.

PIndarus in Isthmijs Oda.3. in Melissum Thebanum, ἄτρωτοί γε μὴν θεῶν παῖδες, Deorum liberi sunt inuulnerabiles: de potentioribus hoc commodè dicetur qui nusq̃ non euadunt, ut Cicero de nobilibus dixit in oratione pro Quintio, Homines nobiles seu recte, seu perperam facere cœperunt, ita in utroq; excellunt, ut nemo nostro loco natus assequi posset.

In Paro frigida quidem est aqua,
sed pulchræ mulieres. CX.

INterpres Aristophanis in Vespis, Prouerbialem uersiculum citat, nec eius usum ostendit, ἐν Πάρῳ ψυχρὸν μὲν ὕδωρ, καλαὶ δὲ γυναῖκες, Paros habet quidem frigidā aquam, sed formosas mulieres.

Ayuntamiento de Madrid

lieres. Ego quātum iudicare possum, existimo prouerbij usum esse siquando significabimus dispendium esse perpetuò compendio aliquo sarciendum. In Paro tametsi frigida sit aqua, uenustas tamen mulierū hoc quicquid est dispendij, abunde reponit. Quòd si quis è numero doctorum melius nouerit quis adagio locus sit, is candide admoneat, reperturus hominem gratum, tantū abest ut ingenuis admonitionibus obtemperare nolim.

Bellum cum Protogene mortuo gerere. CXI.

AVl. Gellius libro decimoquinto cap. ulti. scribit Rhodios Demetrio Poliorceti qui tū eos obsidione cingebat, atq; extra urbis muros memoratiß. illā Ialysi imaginē Protogenis manu factam absumere igni parabat, ꝑ Legatos ita respōdisse, Quæ, malum, inquiunt, ratio est ut tu imaginem istam uelis incendio ædium facto disperdere? Nam si nos omnes superaueris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoq; illa integra et incolumi per uictoriam potieris: sin uerò nos uincere obsidendo nequiueris, petimus cōsyderes, ne turpe tibi sit, q̄a nō potueris bello Rhodios uincere, bellum cum Protogene mortuo geßisse. Hoc prouerbio IOANNES Braßicanus, Pater & præceptor meus amantiß. plurimū delectabatur: ad eos autem pertinet, qui cum laruis luctantur, & contempta memorabili lege Solonis, mortuos iam cōuitijs insectantur, quod Homerus etiā intellexit dum

inquit, Iliad. libro ω.

κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζω μενεαίνων.

Et Agamemnon Iliad. κ.

οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων καταθεσθαι γίνεται, ἐπεί κε θάνωσι &c.

Et ex eius sentētia Virgil. libro undecimo Aneid.

Nullum cum uictis certamen & æthere cassis.

Quantum ubique possunt duo oboli? CXII.

BAcchus apud Aristophanē in Ranis, postq̃ accepisset ab Hercule duos obolos Charonti pro transmissione paludis persoluendos esse subijcit, ὡς μέγα δύναθαι πανταχοῦ δύ' ὀβολώ; quantum ubique possunt duo oboli? prouerbiali nimirum dicto significans, pecuniam in omni re plurimũ posse: quæ nisi esset, non committerētur etiam tot diuersi generis flagitia, ita quòd rectissime dixerit Antiphanes,

ὁ πλοῦτος ἡμᾶς καθάπερ ἰατρὸς κακὸς τυφλοὺς βλέποντας παραλαβὼν πάντας ποιεῖ, Id est, diuitiæ tanquã malus medicus quos acceperint uidentes, excæcare consueuerunt.

Echinus parturiens cunctatur. CXIII.

ἐχῖνος τὴν τόκον ἀναβάλλει, Echinus partũ procrastinat. Echini terrestres, quos Erinaceos dicimus, existimantur propter aculeos catulorum suorum partum morari solere, ac deinde aculeatioribus factis catulis

Ayuntamiento de Madrid

catulis ægerrime eniti. Vnde prouerbium, Budæo etiam teste, in eos usurpatur, qui subinde uersuram faciunt, hoc est, creditorem mutant, fœnus fœnore soluunt, nomen nomine expungunt, atque illi dum fidem suam ad aliquod tempus labefactari noluut, ad extremum fortunis omnibus euertuntur.

Cauum pedis ostendere. CXIIII.

Κοῖλον τοῦ ποδὸς δεῖξαι, Hesychius admonet ἐπὶ τῶν εἰς φυγὴν ἐπιστρεφομένων, id est, de ijs dici q̃ sint in fugã uersi, qui pedibus sibi cõsulant. Vt Turnus de Drance apud Virgi. An tibi mauors

Ventosa in lingua pedibusq̃ fugacibus istis
Semper erit?

In nauibus nutritus. CXV.

PLato in Phædro, In nauibus nutritos prouerbialiter appellat homines subrusticos, incõpositos, & ingenio minime liberali, qui nusq̃ inter homines inculpata uita, syncerisq̃; moribus ornatos uixerint. Imò qui neque mores mutare suos, neque ferre possint alienos, ut Cor. Tacitus inquit.

Sesquiulysses. CXVI.

VArro Satyras suas Menippeas ferè omnes prouerbialibus titulis inscripsit, quarum et una, cuius meminit Nonius Marcellus, Sesquiulysses inscripta fuit. Sic autẽ ab Vlysse qui mores hominum multorum uidit & urbes, hominem summe astutũ &

 ueterat

uetratorem planè expolitum appellauit, id quod & Budæo placet libro 1. de asse & eius partibus.

Primas lineas ducere. CXVII.

QVintilianus in 2. & in 4. utitur, eleganti metaphora à pictoribus sumpta, pro eo quod est umbram tantum alicuius rei exhibere, atque obiter tantum, quod intelligi cupias delineare: de linea ab Apelle in Protogenis officina, magna subtilitate ducta meminit Plinius libro 35. cap. 10. Ducit et primas lineas, qui formulam exordiendi negotij præscribit, huius enim metaphoræ uarius usus est.

Prius unda cum flamma redibit in gratiã. CXVIII.

CIcero in 13 Anteniana, de re quæ nullo unq̃ tempore fieri aut contingere poßit. Sic apud Homerum ubi dij pro Troianis & Græcis pugnantes introducuntur, Vulcanus cũ Xantho fluuio, quẽ aliàs Scamandrum appellant, fortißime dimicat, atq; in eum modũ interpretatur & Heraclides Ponticus in allegorijs Homericis, & Didymus in Commentario lib. v. Iliad. Adagiũ eo libentius apposui quòd omnia ἀδύνατα prouerbialia sint.

Bona salute. CXIX.

CAto in fine 4. capitis de re rustica innuit uetres in exordijs omnium rerum ea præfatione usos fuisse, Bona salute. Sic in principio concionãdi

Rhoma

Ayuntamiento de Madrid

Rhomani diœbant, quod sit fœlix et fausti: & dijs auspiciibus, dijs fauentibus, dijs beneuolentibus, ubiq; sunt protrita.

Si tibi nõ molestum, & mihi iucundum est. CXX.

SOcrates apud Platonem in Theæteto, siue de sententia, ἀλλ' ἦ οὕτως, ὦ θεόδωρε σοὶ φίλον, ὀυδ' ἐμοὶ ἐχθρόν, φασὶν οἱ παροιμιαζόμενοι, id est, quòd si tibi hoc, ò Theodore, ita charum est, neque mihi displiœbit, ut prouerbio dicunt. Hoc unico prouerbiali uerbo, si cõstanter omnes homines uterẽtur, esset et amiãtiæ nomẽ uenerabilius, et minus etiã malorũ in omnibus humanis rebus esse œrneremus: nũc quoniã omnia diuersis & perinde uanissimis opinionibus oppleta sunt, nusquam non reperias quod bonis iucundũ sit, improbis esse cumprimis odiosum: de hoc hominũ genere loquor qui de cõmuni diuidũdo non amiœ sentiunt, at seditiose perfidéq; passim contendunt.

Alexandrinæ delitiæ. CXXI.

QVintilia. in 1. Verba ne Alexandrinis quidem delitijs permittenda, risu et osculo excipimus. Alexãdrinas delitias, luxũ effœminatiß. & mollissimũ appellauit. Alexãdrini siqdẽ apud omnes scriptores hoc nomine male audiũt, q propter amœnitatẽ urbis cœliq; clemẽtiã immodiœ deliœti fuerint. Ammianus Marcellinus lib. 22. Alexãdria uertex omnium

nium ciuitatũ, inibi sunt auræ salubriter spirãtes, aër tranquillus & clemẽs, atq; ut periculũ docuit per uarias collectũ ætates, nullo penè die incolẽtes hanc ciuitatẽ solẽ serenũ nõ uident etc. Quàm ex admirabili euẽtu condita sit Alexandria, docet Stephanus, quæ p̃ excellentiam etiam πόλις dicta fuit, ut Athenæ ἄστυ, Roma Vrbs.

Manubrium eripere. CXXII.

PLautus in Epidico, Eripe manubrium è manu. Idem in Aulularia, Exemi è manu manubrium. Manubrium eripere scitiß. metaphora dicũtur qui nocendi causam adimunt, qui uiam omnem obsepiunt qua periculum ipsis imminere uideatur.

Famæ os claudere. CXXIII.

HOc Prouerbio Budæus utitur libro iiij. de asse & eius partibus, Non comprimunt os famæ qui nihil aliud curant, quàm famam arcere. Quòd si uerum est, uulgata quia uera sint, in prouerbium uenire, autore Luuio, quid tandem obstat, quin & ea quæ apud Budæum uirum incõparabilis eruditionis, ac antiquis etiam meritò conferendum, in hãc formam, tamq; speciose dicta reperiuntur, adagijs absolutiß. connumeranda sint? Famæ os cõprimunt, qui tam honeste tamq; integre uiuunt, ut nemo sit omnino qui de ijs aliquid in deteriorem partem loqui poßit. Qui uerò nihil aliud agunt q̃ ut famam, siue ea sit pecuniæ, magistratus, aut alterius gloriolæ consequendæ, depellant,

Ayuntamiento de Madrid

depellant, illi certe nullo unq̃ tempore efficient ut non traducãtur, sintq̃; paßim, ut poëta inquit, Incerti fabula uulgi. Huc ptinet quod in Caligulæ uita scribit Sextus Aurelius Victor, de quo nescio an aliqd deuerit memoriæ pdi, nisi forte qa iuuat de principibus oĩa nosse ut improbi saltẽ famæ metu talia declinẽt.

Hac nos deus ipse ducit. CXXIIII.

HEmistichium hoc apud Homerum, non uno loco positum καὶ τὶς θεὸς ἡγεμόνευε, præcipuum usum habet quãdo significamus nos honorifico instituto quippiã aggredi, et rationibus neutiquã uulgaribus permoueri. Sic enim et Plato usus est in fine dialogi, qui inscribitur Crito, ἐπιφήμη ἡ ταυτὴ ὁ θεὸς ὑφηγεῖται, id est, quoniam hac nos deus ipse ducit.

Geometriam exercere in cilio. CXXV.

Γεωμετρεῖν πρὸς δ' ἐπισκώνιον, Geometriam exercere in cilio. Iulius Pollux libro v. cap. xv. de mulieribus dixit, quæ formam ascititijs lenocinijs commẽdant, quod tãdem ad omnes illos pertinet, qui fucis quibusdã adulterinis & quod Plautus ait, Exoticis condimentis sese suaq̃; uenditant. Prouerbij meminit & Hermolaus Barbarus libro v Corollarij in Dioscoridem. Dictione γεωμετρεῖν antiqui, ut ex Platone atque Plutarcho colligimus, non tantum in dimetienda terra usi sunt, sed in omni negocio quod exactius et diligẽtius tractamus. ἐπισκώνιον autẽ extraneus ambitus est genæ superioris, quẽ antiqui

Ayuntamiento de Madrid

cilium appellarunt, & ex eo etiam superalia, in quibus superbia sedem habet, Autore Plinio lib. II. cap. 37. Demetrius Phalereus χαριτοβλέφαρος à uenustate superciliorũ dictus fuit, Athenæo teste libro 17. Dipnosoph.

ῥήματα ἱππόκρημνα. CXXVI.

ARistophanes in Ranis appellat ῥήματ' ἱππόκρημνα uerba quæ in rupiũ & scopulorũ morem grandia sint, quæ & ἱππόβαμονα uocat, nimirum ita sublimia, tanquam equis uehantur, unde interpres ibidem & Suidas etiam admonent dictionem ἵππος in compositione ad magnitudinem pertinere, quẽadmodũ ἱππόπορνος Aeschini, apud Dioscoridẽ Hipposelinon, & Virgilio nostro in Georg. Hippomanes dicitur. Seneca lib. I. Suasoriarum scribit, Senecionem quendam cognomento Grandionem fuisse dictum, qui nihil nisi grandia dicebat, seruos habere nolebat nisi grandes, & argentea uasa non nisi grandia: atque eò peruenit insania eius, calceos maiores sumebat, ficus non edebat nisi mariscas, omnia grandia probabat &c. Eiusmodi grandionũ hac ætate innumerabilem gregem inuenias, qui res ferè omnes, mole non utilitate solent expendere. Neque uerò quod Cicero dixit optimam esse Demosthenis orationem, quæ sit longissima, et Aristophani poëtæ longiss. quisque uersus Archilochi gratiss. & dulciss. erat, itidem & ego concesserim omnes illos meliores

liores esse libros qui sint grandiores: nam Athenæus libro γ. Dipnosoph. memorabile uerbum hoc citat ab exordio, καλλίμαχος ὁ γραμματικὸς τὸ μέγα βιβλίον ἴσον ἔλεγεν εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ.

Simiæ sanguinem profudisse. CXXVII.

DIodorus Siculus lib. K. scribit in Pithecusis eum honorem haberi Simijs quem Aegyptij canibus tanquam dijs suis exhibeant, uiuere simul cum hominibus, cibum ab ijs absque omni metu capere, parentes isthic liberis suis à Simijs, ut aliæ gentes à dijs imponere nomina: qui simiam occiderint, tanquã impium flagitium designassent, ijs pœnam extremum supplicium esse constitutum, unde etiam prouerbio apud eos dicatur de ijs qui iam occisi & è medio sublati sint, ὅτι πιθήκου αἷμα ποτίσαιαν, id est, Simiæ sanguinem eos profudisse.

Ne meas uites lædite. CXXVIII.

QVando ingenij nostri tenuitatem & libenter & ingenue profitemur, aut labores nostros exiguos cũ summa modestia deprimimus cõmode utemur hoc Theocriti uersiculo ex quinto Idyllio, μὴ μεν λωβάσητε τὰς ἀμπέλος. ἐντὶ δ' ἄβαι, Id est, ne meas uites lædite, sunt enim ualde q̃ teneræ. Et ego à studiosis omnibus, quibus unice desudaui in ijs prouerbiorum Symmictis digerendis, hoc unum & unicum impetrare cupio, ut hanc meam lu-

cubrationem

Ayuntamiento de Madrid

cubrationem egregie teneram & infirmam, æqui bo niq; consulant, et à maiorum gentiũ autoribus præstantiores etiam fructus, & qui nullam iudiciorum seueritatem, tanquam aduersam aliquam tempestatem reformidare possint expectent. Prouerbiorum Symmicta, siue quis latine dicere uelit Miscellanea, pro mediocritate mea, quæ uides, scripsi. Inscriptionis autem rationem ex optimis quibusq; autoribus mutuatus sum: siquidem Athenæus libro ii. deipnos. Erodici Cratetij, & libro iv. Aristoxeni Symmicta citat. Porphyrius in quæstionibus Homericis. ii. meminit Philemonis Symmictωn. Suidas Porphyrij et Seleuci Symmicta citat. Lucilius Tarrhæus lib. i. Commentariorũ in Apollonij Rhodij Argonautica, Symmicta Seleuci, & lib. v. Symmicta Simonidæ nominatim adducit: ab ijs ego inscriptionem accepi, utinam & pari cum eruditione studiosis omnibus aliquando prodeße possem: quantum autẽ uitæ deinceps Dei Opt. Max. uolũtate mihi erit, quantũq; à curãda prorsus offensa et plane deposita ualetudine, mihi dabitur ocium, hoc omne ad eiusmodi bonorũ studiorũ elegãtiora scitamenta conferam, quamobrem etiam præfatus sum me Symmicta hæc scripsisse: quis enim ita perfecta eruditione præditus est, qui se quidpiam in hoc commentãdi genere absoluisse, merito gloriari poßit, ubi dies perpetuò diem docet, & quotidie tot boni autores rursus adempti βιβλιοτάφοις, tanquam ex inferis existunt, nostroq; maximo bono renascũtur?

Ayuntamiento de Madrid

ORNATISS. VIRO D. VDALRICHO Gebhardo I. V. Doctori consumatiß. Domino & amico suo semper obseruando. IOANNES Alexander Braßicanus. S. D.

IAMBLICHVS ille Chalcidensis, præstantiß. inter Græcos scriptores, & parum adhuc uulgatus autor, libro secundo quem inscripsit, τῶν πυθαγορείων ὑπομνημάτων πθιέχόντων τοὺς πρότρεπτικοὺς λόγους εἰς φιλοσοφίαν, Pythagorica quædam Symbola explicat, quæ cũ inter cætera Plutarchus nec attigerit, nec enarrauerit, neq; apud alios etiam quantum ego quidem sciam, inueniantur, & uere Pythagorica sint, hoc est, & elegantia, & utilitate ex æquo commendata, non potui cõmittere quin & illa adagijs nostris (si quid tamen in ijs nostrum est) adiungerem. In ijs autem explicandis, Iamblichi enarrationem præcipue secutus sum, quã si non eruditè, pro mea tamen mihiq; probè cognita mediocritate fideliter expreßi, pauca quædam ubi res ita postulabat, de nostris adijciens. Hoc quicquid est laboris, in speciem quidem exigui, uerùm ipso fructu maximi, tibi debetur, Ornatiß. uiro atque adeò filio tuo BONIFACIO, Adolescenti modestiß. qui si re ipsa præstabit id quod nomine dicitur, & nos de eo iam olim bona spe cõcepimus, ita tibi optimo parẽti mihiq; nescio q̃ bono, certe tali præceptori q̃ nemini malefaciendi

endi autor esse uelim, satisfaciet, ut quod Homerus Sthenelo suo tribuit, hoc ipse de se suiq; similibus apositissime possit dicere,

ἡμεῖς μὲν πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.

Debebam equidem humanissimæ tuæ præstantiæ lõge maiora, qui mihi cum omnibus tuis tam benigne facias quotidie, uerùm à malo nomine quando iam aliter soluendo non sim, uel hanc interea quantũuis exiguam portionem æquo animo accipies, tum ubi dies iterum cesserit, curabo ut quicquid tibi debeo (omnia autem debeo) quàm honestissime persoluam. Vale uir optime cum ornatiss. Coniuge, liberisq; tuis omnibus quàm felicissime, et me, quod facis, uere tuum esse credito. Viennæ Anno à nato Iesu M.D. XXIX Mẽsis Martij die XII.

Ayuntamiento de Madrid

SYMBOLA

PYTHAGORAE.

Cum templum ingressus sis, reuerenter adorato, neq; quicquam interea quod ad uictum pertineat aut dicas aut facias. I.

ἰς ἱερὸν ἀπιὼν προσκυνῆσαι, μηδὲν ἄλλο μεταξὺ εἰωθικὸν μή τε λέγε, μή τε πράττε, *hoc est, Cum tẽplum ingressus sis, reuerenter adorato, neque quicquã interea quod ad uictum pertineat aut dicas aut facias. Pythagoræ Symbola singula singulis utrutibus docẽdis accõmodata sunt: uerum ut Iamblichus inquit,* τὰ πρῶτα εἰς εὐσεβείαν ἀγαγὴ τὴν θείαν ἐπιστήμην ἐσί πραγακλητικὰ, *id est, prima illa ad pietatem & diuinarum rerum cognitionem ardentiß. quadã adhortatione perducunt. Nam cum omnia quæ ad deum pertinent, pura sint et ab omni mixtione aliena, conuenit omnino ut quod purum in nobis est, purißimo pariter (quod deus est) accommodemus, neque ad diuinum cultum aliquid humanum adducamus: humana siquidem cum diuinis in comparationem neutiquàm uenire possunt, ut cura rei familiaris immodica, rei diuinæ non sit admiscenda: recte itaque Iamblichus,*

οὐδὲν οὖν ἄλλο παρακελεύεται ἢ τοῦτοις τοὺς λόγους τοὺς ἱεροὺς ἢ τὰς θείας πράξεις μὴ

Ayuntamiento de Madrid

συμμιγνύναι τοῖς ἀνθρωπίνοις ἀσάτοις ἥδεται, Nihil aliud hoc Symbolo doctur, quàm sacros sermones & diuina negotia non esse moribus hominum, prorsus inæritis & inconstantibus, inserenda.

Ex itineris diuerticulo non est ingrediendum in templum, neque orandum omnino, etiãsi iuxta uestibulũ ipsum tibi transeundum sit. II.

Οὐδὲ πάρεργον ὕυπ εἰσιτητέον εἰς ἱερόν, οὔτε προσκυνητέον τὸ παράπαν, οὐδ' εἰ πρὸ τοῦς θύραις αὐτοῦς παριὼν γένοιο, idest, ex itineris diuerticulo non est ingrediendũ in templum, neq; orandum omnino etiamsi iuxta uestibulum ipsum tibi transeundum sit. Simile simili cumprimis est appositum. Dijs igitur qui principem omnium rerum potestatem habent, primus etiam cultus & obseruatio debetur, quam si quis ob aliam causam dijs exhibeat, iam inde secundo loco æstimat quod modis omnibus est præapuum. Ridiculum itaque fuerit nostra quæ lõge contemptiora sunt, primo loco ponere, diuina uerò non aliter atquè quædam additamenta ducere.

Nudis pedibus sacrifica & adorato. III.

Ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει, id est, nudis pedibus sacrifica simul ac adorato. Quorũ primũ significat dijs immortalib. eatenus esse sacrificãdũ, quatenus fortunarum nostrarum mediocritas admittat, id quod & Hesiodus indicat in Ergis καθαρὰν μὴ ἔργα ἱερὰ ἀθανάτοισι θεοῖς

Ayuntamiento de Madrid

Ita Lycurgus apud Lacedæmonios tenuißima sacrificia instituit, ut expeditius faciliusq; , et perinde etiam frequentius rebus diuinis intenderẽt ,autore Plutarch.in Apophtheg. Alterum indicat , in re diuina facienda,animum esse debere prorsus expeditũ,atq; nullis omnino uinculis implicatum. Est enim Pythagoricorum scitum,Symbolis à corpore mutuatis,ea quæ ad animum pertinent ostendere. Vnde Seruius etiam Virgi.lib.quarto Aeneid.huc allusisse putat,cum de Didone inquit,

Vnum exuta pedem uinclis,in ueste recincta.

Et in flaminum Rhomanorum uestibus nullus erat nodus,quod ad hoc Symbolum iam explicatũ ualde quàm appositum est.

De dijs rebusq; diuinis nihil tam admirabile dicitur quod non debeas credere. IIII.

Περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπίστει,μηδὲ περὶ θείων δογμάτων,id est,de dijs atq; adeò de placitis diuinis, nihil ita admirandũ dicitur quod non debeas constanter credere. Symbolum admonet, diuina non esse collatione nostræ imbecillitatis æstimanda.Nam & morborum uarietas, & hospitij tenuitas,ad hæc inconsulta nostra temeritas,meritò nos admonere debebant,nihil hic esse diuturnũ aut perpetuum,atq; eo minus diuinis rebus comparandum. Sed & Mathematis suis,ὃ μὴ ἀπιστεῖν, Pythagorici autore Iamblicho acceptũ ferunt, & hoc Symbolum

Ayuntamiento de Madrid

lum ut in alio locò docet Iamblich. προτρέπεται μετιέναι καὶ κτᾶσθαι ἐκεῖνα τὰ μαθήματα δι' ἃ οὐκ ἀπιστήσῃς οὐκέτι τοῖς θεοῖς καὶ πρὸς θεῖα δόγματα

Linguam coërce, deum imitans. V.

Γλῶσσαν πρὸ τῶν ἄλλων κράτει, θεοῖς ἑπόμενος, id est, linguam ante omnia contine, deum imitans. Primum prudentiæ officium est, linguæ suæ imperare, & animi consummata perfectio est, ad exëpla diuinæ bonitatis ubique se componere.

Flantibus uentis echon adora. VI.

Ἀνέμων πνεόντων τὴν ἠχὼ προσκύνει,

Flantibus uentis echon adora,

καὶ αὐτὸ δὲ θείας σοφίας δεῖ γνώρισμα. αἰνίττεται γὰρ ὡς δεῖ τῶν θείων οὐσιῶν τὴν λαμπάνων τὴν ὁμοιότητα ἀγαπᾶν,

Et hoc ad diuinæ sapientiæ cognitionẽ pertinet. Tacite enim indicat diuinarum essentiarũ & facultatum similitudinem quandã & expressam imaginẽ amandam esse. Siquidem dij immortales ubi prosunt, quæ summa illorum potestas est, hoc ærtis quibusdã & quasi spirantibus, ut ita dixerim, argumentis ostendunt. Sic interpretatur Iamblichus: quòd si quibusdam longus acœrsitum esse uidebitur, hoc autori poterunt rescribere.

Omne

Omne acutum abs te dimoue. VII.

Ὀξυδα ἀπὸ σεαυτου ἀπόσρεφε πᾶσαν, Omne quod acutum sit à te procul amoueas: hoc in Iamblicho subijdtur Symbolo, ignem gladione fodito, proinde inquit,

Ϛ τουτο φρονήσει χρῆσθαι παρακελευετ, Ϛ μὴ θυμῷ. ὃ μὲν γὰρ ὀξὺ τῆς ψυχῆς ὄπῃ θυμὸν καλουμεν, λογισμου καὶ φρονήσεως ἐσέρητ. ξῆ γὰρ ὁ θυμὸς ὥσπερ λέβης πυρὶ θαλπόμενος, Et hoc admonet in omnibus rebus adhibendam esse prudentiam, neq; tantulum quidem esse cœdendum iracundiæ. Quod acutũ est in animo, θυμὸν appellamus, atq; id à ratione prudentiáq; ualde quàm alienum est. Adhæc iracũdia non aliter efferuesere cõsueuit, q̃ lebes igne calefactus. Sic Homerus Iliad. φ. ὡς δὲ λέβης ζῆ ἔνδον ἐπιφλεγόμενος πυρὶ πολλῷ.

In calceum, dextrum præmitte pedem: In podoniptrum autem sinistrum. VIII.

Ἐις μὴ ὑποδήσῃ τὸν δεξιὸν ποδα πρόπαρεχε· εἰς δὲ ποδονιπτρον τὸν ἐυώνυμον. In calæum, dextrum præmitte pedem: in podoniptrum autem sinistrum. εἰς τὴν πρακτικὴν φρόνησιν παρακαλῶν, τὰς μὲν πρὸς αἱρεσεις πράξεις ὡς δεξιὰς περιτίθεσθαι παραγγέλλει τὸ συμβολον, τὰς δὲ φύλαξεις ὡς ἀριστερὰς ἀποτίθεσθαι παντάπασι Ϛ ἀπορρίπτεσθαι.

Ayuntamiento de Madrid

Ad prudentiam actiuam adhortatur : nam actiones honestas tanquam dexteriores primo loco collocandas esse Symbolum hoc indicat : Inutiles autem tanq̃ sinistras relinquendas & omnino abijciendas esse.

Ad lucernæ lumen ne te speculo contempleris. IX.

Παρὰ λύχνου μὴ ἀποπτήρίζου, Ad lucernæ lumen ne te speculo cotempleris. Hæc uere Pythagorica admonitio est, Philosophiæ diligentem operam impendendam esse, neque quicquam credendum Visis illis, quæ per sensus in animos inferuntur (Phantasiæ siquidem aliquam lucem, per comprehensionem efficiunt, sed minime ueram aut naturalem) sed longe plus esse tribuendum ijs quæ prudentia atque scientia consequimur : ab ijs enim mire splendida, ac minime conficta lux efficitur, quam recte quispiam τῆς ψυχῆς ὄμμα, id est, animæ oculum appellauerit, hoc nos exactissime contemplari poterimus, nequaquam autem ex ijs quæ corpore constant & perinde parum etiam stabilia sunt. Quoniam autem de sensibus & Visis hic fit mentio, præstat adscribere uerba Philonis Iudæi ex libro de mũdo, αἰσθησις μὲν ὅλως αὐτὸ μὴ τοῦ μηλοῖ δ' ὄνομα ἐιωθεσίς τις οὖσα τὰ φανέντα ἐπεισφέρει τῷ νῷ, φανταστία δὲ τύπωσις ἐν ψυχῇ ὁιονεὶ φαοσασία τις οὖσα, id est, sensus quidem ut ipsum nomen indicat illatio quædam est in mentem eorum quæ apparent et uidetur. At Phãtasia sic dicta tanq̃ φαοσασία, Impres-

sio

Ayuntamiento de Madrid

sio quædã est in anima &c. Huc pertinet quod Aristotelem frequenter dixisse refert Stobæus, ὥς ἡ μ ὄψασις ἀπὲ τ πρὸ ἐχοντ᾽ ἀέρ᾽ λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δ ψυχὴ ἀπὲ τῶν μαθημάτων, *id est, quemadmodum uisus accipit lumen à circunfuso aëre, sic animus optimis disciplinis illustratur.*

A risu effuso abstine. X.

Ἀ γέλωτ γέλωα μὴ ἔχεσθαι. *A risu effuso abstine. Symbolũ admonet affectus esse summa cura reprimẽdos, & addit Iamblich.* μήτε ἄρα εὐτυχίας ἐπιχαυνῶ, μήτε συμφορᾶς σύνταπεινῶ, *quod Ausonius ex sententia Periandri ijs uerbis expreßit,*

Dum fortuna iuuat caueto tolli,
Dum fortuna tonat caueto mergi.

Risu autem in affectibus significandis, usus est Pythagoras, siue quòd in exposito & aperto corporis humani loco, nimirũ in ipsa facie ærnatur, siue q̃ ipsum etiã hominẽ aliqui ζῶον γελαστικὸν εἶναι ὁρίζονται.

Iuxta sacrificium ne incidas ungues. XI.

Παρὰ θυσίαν μὴ ὀνυχίζειν, *Iuxta sacrificium ne incidas ungues.* πρὸς φιλίας δὲ προτρεπτικ᾽. τῶν γὰρ οἰκείων, καὶ προσηκόντων ἡμῖν ἐξ αἵματ᾽, οἱ μ ἔγγιστα γένους, εἰσὶν ἀδελφοί, καὶ τέκνα, καὶ γονεῖς, ἐοικότες τοῖς μέρεσι ἡμῶν, ἃ πρὸς ἀφαιρεθέντα ἄλγημα οὐ τὸ τυχὸν παρέχει, καὶ κολάζει σ, οἷον δάκτυλοι, χεῖρες, ὦτα, εἰμὶ καὶ τὰ ὅμοια,

Ayuntamiento de Madrid

Symbolum admonet amicitiam cumprimis esse colendam & conseruandam. Nam familiares & amici nostri & qui nobis sanguinis necessitudine quàm proxime coniuncti sunt, nempe fratres, parentes & nati natorum, & qui nascentur ab illis, recte comparantur corporis nostri partibus. Quòd si quis illos à nobis auferat, non aliter nos turbari, & ex aliqua parte imminui necessariũ est, quàm si quis abscinderet nostros digitos, manus, aures, nasum & eiusmodi similia: quod autem iuxta sacrificium dixit, amicitiam omni tempore tanquam rem sacram purissime colendam esse intellexit.

Cerebrum ne edas. XII.

Ἐγκέφαλον μὴ ἔσθιε, Cerebrum ne edas, σέβεσθαι κελεύει τὸ σύμβολον τῶν τῶν φρενῶν πηγῶν καὶ τὸ τοῦ νοῦ πρόσεχέστατον ὄργανον δι' οὗ θεωρίας τε καὶ ἐπιστήμην, ἣν τὸ σύμβολον σοφίαν κτώμεθα, Symbolum admonet, reuerenter esse colendum omnium sensuum fontem, ac appositiss. intelligendi instrumentum, cuius unius præsidio & peruestigandi rationem disciplinas ac uniuersam tandem sapientiam possidemus. Quis autem ignorat ex philosophorũ placitis ἐγκέφαλον εἶναι τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ φρονεῖν ὄργανον;

Rubrum aliquid ne suscipias. XIII.

Ἐρυθρὸν μὴ προσλαμβάνου, Rubrũ aliqd ne suscipias, hoc est, ἐν παντὶ καθ' ὑπερβολὴν ἐρυθριῶντα

Ayuntamiento de Madrid

θριῶντα καὶ ταπεινόφρονας μὴ ὠνὶ σπουδάζειν ἄνθρωπον, In omni negotio uitandi sunt qui uel immodice uerecundi uel nimis demißi animi fuerint.

Aurum habenti ne adhærescas in filiorum generatione. XIIII.

Χρυσὸν ἔχοντα μὴ πλησιάζειν ὠνὶ τεκνοποιΐας, Aurum habenti ne adhærescas in filiorum generatione, οὐ γυναικὶ λέγει ἀλλ' αἱρέσει καὶ φιλοσοφίᾳ, Non mulieri dicit, sed philosophiæ, aut alicui sectæ: omnium autem quæ in terra reperiuntur constat aurum esse grauißimum, unde per aurum intelligit corpoream quandam, ut ita dixerim, grauitatem, quæ neutiquam in philosophia requirenda est, ubi nihil nisi quod ad animũ pertinet inuestigare cõuenit. πλησιάζειν autem οὐ μόνον συγγίνεσθαι ἀλλὰ καὶ συνεγγίζειν ὅτι καὶ πλησίον καθίσασθαι, Non tantum est conuiuere, sed quàmproxime accedere. Symbolum indicat ad ingenij fructum consequendũ (quẽ isthic τεκνοποιΐαν uocat) ea præcipue studia colenda esse, quæ prorsus incorrupta sint, & ad uitæ synceritatem quàmplurimum conducant.

Honora cumprimis figuram & aram, figuram & Triobolum. XV.

Προτίμα τὸ σχῆμα καὶ βῆμα, τὸ σχῆμα καὶ τριώβολον, Honora cumprimis figuram & aram, figuram & Triobolum. Symbolũ indicat di-

M. GRVNNII COROCOTTAE PORcelli testamentum uenerandæ antiquitatis gemma quædam, cuius etiam diuus Hieronymus Tomo v. pag. 72. ad Eustochium in viij. Commentariorum Esaiæ πρωοιμιάζ, & aduersus Rufinum, Tomo iij. pag. 92. nominatim meminit, per IOANNEM Alexandrum Braßicanum, iureconsultũ, ex antiquo exemplari Domnicalium patrũ apud Moguntiã bona fide descriptũ, et in gratiã IOAN. StickKeli adolescẽtis optimi, suiq; cõsanguinei chariß. recens ab addititijs nugis assertũ, & q̃ purißime fieri potuit in uulgatum.

. Grunnius Corocotta Porcellus Testamentũ fecit: qd' quoniã manu mea scribere nõ potui, scribendum dictaui. Magḡrus coquus dixit, ueni huc Euersor domus, Soluersor fugitiue Porcelle, ego hodie tibi uitã adimo. Corocotta porcellus dixit, Si qua feci, si qua peccaui, si qua uascula pedibus meis confregi? Magḡrus coquus dixit, Transi puer, affer mihi de culina cultrum ut hunc porcellum faciam cruentum. Porcellus comprehenditur à famulis, ductus sub die xvi. Calend. Lucernin. ubi abundant Cymæ, Clibanato & Piperato Coss. & ut uidit se moriturũ esse, horæ spatium petijt, & coquum

quum rogauit ut testamentũ facere posset. Inclamauit ad se suos parentes ut de cibarijs suis aliquid dimitteret eis, qui ait, Patri meo Verrino Lardino, do, lego, dari glãdis modios xxx. & matri meæ Veturinæ Scrofæ do, lego dari laconicæ siliginis modios xl. et sorori meæ Quirinæ in cuius uotũ interesse nõ potui, do, lego dari hordei modios xxx. & de meis uisceribus dabo, donabo Sutoribus setas. Rixatoribus capitinas, Surdis auriculas, Causidicis et uerbosis linguam, Bubalarijs intestina, Esiciarijs fœmora, Mulieribus lumbulos, Pueris uesicã, Puellis caudã, Cinædis musculos, Cursoribus et Venatoribus talos, Latronibus ungulas, et nec nominando coquo, do, lego, ac dimitto popam et pistillũ quæ mecũ detulerã à queræto usq; ad harã, liget sibi collum de reste. Volo mihi fieri monumentũ ex aureis literis scriptũ. M. Grũnius Corocotta porcellus uixit annos D. CCCC. XCIX. quòd si semis uixisset, mille annos implesset. Optimi amatores mei uel consules uitæ, rogo uos ut corpori meo benefaciatis, bene condiatis, de bonis condimentis, nucleis piperis & mellis, ut nomen meũ in sempiternum nominetur: mei domini uel consobrini mei qui huic testamento interfuistis, iubete signari.

Lucanicus	signauit.	Lardio	sign.
Tergillus	sign.	Offellicus	sign.
Nuptialicus	sign.	Cymatus	sign.
Celsanus	sign.		

FINIS

Ayuntamiento de Madrid

Darculas ſedere 40
Ad gentiles et agnatos deducẽdus 31
Ad inferos proficiſci 50
Ad perpendiculum 59
Agrωſtis in nido corydi 9
Ἀιζωνιεὺς 16
Alexandrinæ delitiæ 69
Ambrones 25
Animus ad cauponem 18
Ἀπόλουτροι 33
Ara 28
Archilochi uulpes 24
Areopagita ſubticentior 13
Aſſon eas ut citius ad exitij terminos peruenias 17
Aſteropæus 14
Bambalio 46
Barbam ab ulnis puerorum uellere 22
Bellum cum Protogene mortuo gerere 65
Βεργαΐζειν 17
Βιβλιαίγιον 19
Bona ſalute 68
Bos armenta 52
Byßina uerba 53
Calcei ſicyonij 47
Campana ſuperbia 38
Candidatus Cæſaris 12

Ayuntamiento de Madrid

Cantilena ex ſcholis 31
Caput tegere 34
Cauum pedis oſtendere 67
Chorus domeſticus 23
Clauſis theſauris incubare 40
Cogitato quàm longa ſit hyems 48
Computatorum digiti 54
Conchas legere 33
Contenti ſimus hoc Catone 26
Deorum liberi ſunt inuulnerabiles 64
Deos abſentes teſtes facit 36
De ſummo pectore 24
Echinus parturiens cunctatur 66
Equus Troianus 45
E ſcurra facilius diues quàm paterfamilias fit 42
Etiam inter uepres roſæ naſcuntur 61
Etiam uetus arbuſtum transferri poteſt 38
Ex faſtis euellendi 45
Famæ os claudere 70
Faſces ſubmittere 49
Filius mihi ſit Tritogenes non Tritogenia 15
Fortes in tabula 60
Gallinaceus Euclionis 36
Geometriam exercere in cilio 71
Gloſſaſpides 14
Hac nos Deus ipſe ducit 71
Hoſtibus eueniat 28
In cauea minus bene canit luſcinia 51

Ayuntamiento de Madrid

Indoctior quàm in tragœdia Comici 58
In eodem ualetudinario iacere 35
In montes offendere 25
In nauibus nutritus 67
In ollis uenari 20
In Paro frigida quidem est aqua, sed pulchræ mulieres 64
In Plauti comœdia mœchus 34
Inter meros lepores 14
Iupiter plue mel 11
Lacinia obtinere 39
Lacuna 43
Lamiæ turres 63
Latrunculis ludere 51
Laureolam in mustaceo quærere ibidem
Literatus 58
Locum in balneis occupare 64
Loricæ gladius 26
Manubrium eripere 70
Manus in Aetolis, mens autem in Clopidis 13
Miseriorem quàm panus puerum 26
Mittere lineam 57
Mures migrarunt 52
Musas hortari ut canant 41
Musca est 57
Ne meas uites lædito 73
Neque remi neque uenti 55
Nerui et artus sapientiæ sunt, nõ temere credere 42

Ayuntamiento de Madrid

Ne Sannione domi relicto 61
Nil nisi potantes 20
Nodus Gordius 37
Nondum omnium dierum sol occidit 60
Non uerbis at factis spectari uult Græcia 15
Nullus aleator sapientior 58
Ocream capiti, tubiæ galeam adaptare 23
O domus antiqua 41
Pennas incidere 52
πλώξ 16
Primas lineas ducere 68
Prius unda cum flamma redibit in gratiam ibidem
Problema archimedeum 53
Pygmæum imponere Colosso 51
Qualem demens ille chlamydem disperdit? 63
Quantum pedes nostri possunt 56
Quantum ubique possunt duo oboli? 66
Quasi thesaurum draco 27
Quatuor habens capita 21
Ratio apparet, argentum οἴχεται 47
Rectis an inclinatis hastis 59
Rhomæ quoque homines moriuntur 61
Roscius 32
ῥήματα ἱππόκρημνα 72
Saga sumere 46
Sanæ corporis parti scalpellum adhibere 46
Sapientes sunt qui ueteri uino utuntur 36
Securim inijcere 44

Ayuntamiento de Madrid

Senator absq; prouocatione, legatus sine mãdatis 27
Sesquiulysses 67
Simiæ sanguinem profudisse 73
Si tibi non molestum, & mihi iucundum est 69
Subula leonem excipere 35
Surculum defringere 39
Terram uideo 54
Teucrum Pacuuij edisceré 41
Thessalus missus 18
Tritones piscinarum 50
Tunc canunt cycni quando tacuerint graculi 62
Turbine uersatilior 19
Vilior uitiosis pomis 22
Vinum lac Veneris ibidem
Vita Charadrij 56
Vltra Herculis columnas 21
Vnguis in ulcere, ulcus 44
Volsellis pugnare non gladijs 59
Vt templorum sacra 24

Index Symbolorum Pythagoræ.

AB animalibus abstine 86
Ad lucernæ lumẽ ne te speculo cõtẽpleris 82
A risu effuso abstine ibidem
Aurum habenti ne adhærescas in filiorum generatione 84
Cerebrum ne edas 83
Cum templum ingressus sis, reuerenter adorato, ne-

Ayuntamiento de Madrid

que quicquàm interea quod ad uictum pertineat aut dicas aut facias 77
De dijs rebusq; diuinis nihil tam admirabile dicitur quod non debeas credere 79
De Pythagoricis rebus absq; lumine ne loquaris 86
Ex itineris diuerticulo non est ingrediendum in templum, neque orandum omnino, etiamsi iuxta uestibulum ipsum tibi transeundum sit 78
Flantibus uentis echon adora 80
Honora cum primis figuram & aram, figuram & Triobolum 85
In calceum, dextrum præmitte pedem: in podoniptrum autem, sinistrum 81
Iuxta sacrificium ne incidas ungues 83
Linguam coërce, deum imitans 80
Maluam sere, ne tamen edas 85
Nudis pedibus sacrifica & adorato 78
Omne acutum abs te dimoue 81
Rubrum aliquid ne suscipias 84

Errata

Pagina	Versu	Lege
28	9	incomparabile
32	24	mimo
49	5	[illegible]

Ayuntamiento de Madrid

unicum arbustum non alit
Duos erythracos.

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid